12624/P

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE CYDONIIS EORVMQVE EXIMIO VSV MEDICO

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS AC GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
LAVRENTIO HEISTERO
MED. D. SER. DVC. BRVNSV. AC LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO, PRAXEOS CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ET PRIMARIO, ACAD. SCIENT. CAES. NEC NON REG. LOND. AC BEROL. COLLEGA LONGE GRAVISSIMO
FACVLTATIS SVAE SENIORE ET H. T.
DECANO SPECTATISSIMO
PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO
AETERNA PIETATE COLENDO
PRO DOCTORIS GRADV
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS INSIGNIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS MORE MAIORVM
RITE OBTINENDIS
DIE XXIII. IVNII. A. R. S. MDCCXLIV
IN IVLAEO MAIORI
HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT
AVCTOR RESPONSVRVS
IOANNES ADAMVS BAVER
NORIMBERGENSIS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

WELLCOME LIBRARY

CAPVT I.

CYDONIORVM HISTORIAM NATVRALEM SISTENS.

§. I.

Cum de *Cydoniis* ſive *cotoneis malis eorumque eximio uſu medico* diſſertationis inauguralis loco nunc agere conſtiuerim, dum probe perſpexi, quantam utilitatem rei medicae afferre poſſit, ſi praeſtantiora e materia medica depromta remedia penitius ac maiori cura excutiantur, hinc prae omnibus, quid *hoc nomine* velim atque intelligam, nunc exponam. Acturus quidem ſum praecipue *de malis ſive fructibus cydoniorum eorumque uſu*; attamen melioris doctrinae cauſſa utile imo opus eſſe exiſtimo, ut primum arborem conſiderem, unde praeſtantiſſima haec vereque *aurea mala* proveniant, ne idem mihi obiici iure queat, quod multi in veteribus & Medicis & Phyſicis ſcriptoribus haud ſine iniuria reprehendunt, quod ſaepiſſi-

Argumentum huius diſſertationis indicatur.

me, imo fere ſemper, certas plantarum partes, ut *myrrham* aliaque gummata peregrina magnopere laudaverint atque earum uſus medicos inſignes commendaverint, verum plantam, unde illa pars, ſive radix, ſive folia, ſive cortex, flores, fructus, ſucci aut gummata ſint, proveniant, neglexerunt, ita ut hodie adhuc, quod vehementer dolendum, multorum originem & ex quibus plantis proveniant, adhuc ignoremus, imo multas veterum plantas haud certe ſciamus, & quinam verbi cauſa ſit *verus* ille *helleborus* ſive *veratrum*, cuius radicibus, Medici veteres atque aegrotantes tam frequenter uſi ſunt, adhuc in dubio ſimus, atque incerti haereamus. Aut ne quod Theologi ingratis erga Deum hominibus exprobant, qui multa beneficia ab eo accipiunt, ſed ut porci ſunt, qui fructus quercus, glandes ſcilicet, ſub arbore devorant, de arbore autem unde hae (cibus ſcilicet eorum gratiſſimus) proveniant, haud ſolliciti ſunt, mihi opponi poſſit.

II.

Quid arbor cydonia ſit oſtenditur generatim.

Igitur *Cydonia arbor eſt plantae genus* flore roſaceo A. (Conf. TOVRNEFORTII Inſtit. Rei herbariae Tab. 405.) pluribus ſcilicet petalis ſubrotundis & concavis B, in orbem poſitis, (utplurimum quinque) conſtante, qui vel albi, vel ex albo rubeſcentes & quaſi *roſei coloris*, atque ex *calyce ſive perianthio* C. monophyllo, concauo, ſemiquinquifido, perſiſtente proveniunt, qui calyx germen ſive embryonem fructus futuri continens, abit poſtea *in fructum vel pyro vel pomo* fere ſimilem, umbilicatum, carnoſum, lanugine cana inveſtitum, in medio ſive centro in quinque loculamenta E diviſum, *ſeminibus* nonnullis glutinoſis ſive lentore viſcido plenis, foetum, oblongis, obtuſis, calloſis, F. cortice ſpadiceo, medulla alba inſtructis. *Staminibus* & antheris gaudet hic flos copioſis, & *piſtillo* ſive ſtylis quinque, quorum deſcriptionem accuratam his addere LINNAEVS neceſſarium eſſe exiſtimat, quod ego autem hic pro

re

re ſupervacanea, moleſta & inutili habeo, quia ſine partibus hiſce minutis cognoſci ſatis poteſt, & tironibus tantum laborem multiplicaret.

III.

Interea tamen haec omnia cum *pyro & malo fere habet communia*, atque hinc LINNAEUS, Botanicus novus, & magnus in re herbaria innovator, *cydoniam & mala ad unicum pyri genus vult reduci*, haecque tria, quae ab omni tempore, ab omnibus nationibus, atque inter has a vulgo & eruditis, ut diſtincta arborum & fructuum genera agnita ſunt, in generibus ſuis plantarum edit. I. pag. 145. & edit. II. p. 218. confundit, nomina haec bona antiquiſſima & uſitatiſſima expungere, pyri ſubſtituere, atque genus Cydoniae pro ſpecie pyri haberi, eamque *pyrum foliis integerrimis* vocari vult (vid. hortus Cliffortianus p. 191. & ROYENI Prodr. Flor. Leydens. p. 267) quaſi hac antiquiſſimorum trium generum confuſione aliquid novi inveniſſet, aut hac innovatione reipublicae rem quandam utilem praeſtitiſſet atque in totum genus humanum invehitur, quod pyra, mala & cydonia unanimi conſenſu, (quod tamen haud ſine ratione mihi feciſſe videntur) in tria genera diſtinxiſſet, cum non niſi unicum ſit, & ut Clar. ROYENUS vult, vix ſpecie differant. Verum quanto hoc ipſo rei medicae ac pharmaceuticae fiat damno, quando *medicamentorum antiquorum nomina conſueta*, ſine neceſſitate & ſine idonea ratione expunguntur atque nova minusque apta, imo interdum prorſus inepta in eorum locum ſubſtituuntur, poſtea uberius ex Cydoniis noſtris oſtendemus, quamvis hoc iam aliis exemplis ab ILLUSTRI PRAESIDE in diſſ. de Nominum plantarum utili & noxia mutatione, itemque in Diſſ. de Aurantiis §. VII. VIII. XI. & XV. ſatis, niſi me omnia fallunt, evictum ſit.

Sed haec non ſufficiunt.

IV.

Itaque quia LINNAEUS *nullam inter pyrum, malum & cydoniam*

Linnaeus cydonia

male cum pyris confundit.

doniam ſive cotoneam invenire potuit differentiam pro hoc genere antiquiſſimo a pyro diſtinguendo, aut potius invenire noluit, cum eam omnes fere ceteri homines, ne mulierculis quidem & pueris exceptis, facillime inveniant, *hanc ex variis partibus, attamen ex fructus potiſſimum diverſitate indicabo,* utpote quo multa aliarum arborum & plantarum genera optime a ſe invicem diſtingui & cognoſci ſolent, longeque profecto melius, quam ex fallaciſſimo eius ſtaminum & piſtillorum fundamento, horumque valde incerto numero, a) ſitu, ac figura; cum *fructus* isque adeo magnus, uti cydonia ſunt, *longe facilius & rectius* videri obſervarique, atque a pyris quibuscunque diſtingui queant: utpote ex quo etiam proceres, eruditi, hortulani, vulgus, mulierculae ac pueri ea facile agnoscunt, atque a ceteris fructibus & arboribus levi negotio diſtinguunt. Ita ut forte mirari multi poſſint, quare rem omnibus adeo notam ac planam *Linnaeus* neget, nosque hic probare velimus.

V.

Differunt 1. colore & odore.

Conſiſtit vero ex mea ſententia haec differentia, praeſertim in fructibus maturis ac perfectis, primo in *peculiari flavo* & a ceteris pyris & pomis diſtincto *colore*, eoque fere ac plerumque *aureo*, nullo rubore intermixto, tam in *pellicula* ſeu cortice hos fructus cingente, quam in *carne* ſubtus contenta; unde a nonnullis olim iam & cumprimis a VIRGILIO, *aurea mala*, imo ab ipſis Graecis *Chryſomela*, quod idem ſignificat, b) vocata ſunt, id quod nulli pyro accidit. Deinde quod cortex hic flavus *cana ac molli lanugine ſive tomento ſit obductus.* Porro quodam peculiari ab omni pyro imo ab omnium aliarum rerum, quas novi, *odore* eoque fragranti & plerisque haud ingrato diverſum ex

a) Id quod CL. PRAESES in diſſ. quam inſcripſit Meditat. in Syſtema Botan. Linnaei demonſtravit.

b) Hoc prolixe probavit IO. BAVHINVS in Hiſt. Plant. Tom. I. pag. 28.

ex quo plerique homines, qui vel ſemel tantum malum cotoneum odoratu explorarunt, etiam clauſis oculis vel noctu in tenebris hoc ſenſu cognoſcere & a pyris diſtinguere rurſus poterunt. Imo ſi quaedam in conclavi quodam ſunt, viſui licet abſcondita, plerique odoratu, Cydonia in eo aſſervari, percipiunt. Cum odor adeo fortis & fragrans ſit, ut non videntes etiam afficiat, & nonnullos adeo vehementer, ut vel vertigine, vel dolore capitis, ſicut alia fragrantia, lilia v. gr. flores aurantiorum, iasminum aliave eiusmodi facere ſolent, corripiantur.

VI.

Praeterea *ſaporem* quoque peculiarem & ab omnibus aliis rebus diverſiſſimum obtinent. Hunc *Boerhavius* tantum *acerbum* vocat; a) Verum *acerbus ſapor* generatim plerisque pyris & malis, praeſertim ſi nondum perfecte matura ſunt, fere communis eſt, donec tandem tempore & maturitate in his fiat magis manſuetus ac ſaepe dulcis. Sed in cydoniis malis, quacunque etiam ratione cultiventur in hortis, qua cultura pyra & poma ſylveſtria acerbum ſive auſterum ſaporem deponunt & cum ſuavi transmutant, tamen ſapor illorum *ſemper manet auſterus* ſive *acerbus*, atque adſtringens, attamen cum alio peculiari plerisque hominibus haud ingrato & quaſi *vinoſo ſapore* combinatus, qui illorum linguae, quando vel ſemel pomum cotoneum deguſtarunt vel comederunt, ita impreſſus manet, ut facile ſi denuo ea deguſtant vel comedunt, ſive cruda ſint, ſive cocta, id quod fere perinde eſt, idem ille guſtus acerbus & adſtringens, imo etiam illorum odor in memoriam redeant, quamvis hoc etiam in tenebris fiat.

2. Sapore.

VII.

Denique notis (§. II.) recenſitis Botanicus celeberrimus TOVRNEFORTIVS loco citato addendum eſſe docet *faciem quan-*

3. Peculiari facie ſive habitu.

a) In Indic. plant. horti Lugd. Bat. part. II. p. 247.

quandam propriam: qua vero in re haec facies circiter conſiſtat, haud dicit. Certum tamen mihi eſt, *faciem quandam propriam in multis plantarum eſſe generibus*, qua ab aliis dignoſcuntur, id quod etiam LINNAEVS hic contradicit, licet flores colore, figura, aliisve rebus, imo & fructus quandoque immenſum inter ſe differant, ut praeter *Tournefortium* omnes fere praeſtantiores huius ſaeculi Botanici faſſi ſunt; vel licet nonnulli *faciem hanc verbis* ſaepe impugnent & reiiciendam eſſe velint, a) tamen eam vel tacite aliis in locis ſcriptorum ipſius agnoſcit, ſicuti hoc alibi ipſi a CEL. PRAESIDE oſtenſum eſt b). Imo cum hoc etiam conſentit CL. HALLERVS: qui in praefat. ſtirp. Helvet. pag. 14. ſcribit: „ *Id* „*fundamentum ieci*, *cui ſoli methodus* naturalis *poteſt ſuperſtrui*, „ut vicinae ſint ſtirpes, quae notis plurimis ſibi ſimiles ſunt. „Neglectus huius axiomatis omnes methodos non natura„les genuit. Inter notas HABITVM (ſive faciem) poſui, „quem excludit quidem ex legibus LINNAEVS; *in praxi ve*„*ro ubique revocat*, *ſuisque legibus longe praefert*, & exempli lo„co profert Convallariam & Tuſſilaginem. „ Poſſent vero adhuc quamplurima alia afferre, quae ſtaminibus differunt, quaeque ſecundum eius fundamenta disiungere & ſeparare deberet, *quae vero ob faciem & habitum in ceteris ſimilem ad unum genus reducit*, ut ſunt auriculae, de quibus hoc prolixe evicit ILL. PRAESES in Animadverſ. in ſyſtema *Linnaei* §. 43. ad 50. itemque ex *valerianis*, *perſicariis*, alſinis aliisque plantarum generibus quam plurimis.

VIII.

Qualis hic ſit in cydoniis.

Videamus tamen nunc paullo ſpecialius, an aliqua ratione oſtendere queamus, *qua in re facies iſta*, *quam Tournefortius cydoniis adſcribit*, *conſiſtat*. *Cydoniae arboris habitus* pyris ſylveſtribus & ſativis ſive in hortis cultis, (ſi pumiliones excipias) eſt *humilior*, nunquam ad altitudinem pyrorum ſylve-

a) Vt *Linnaeus* in Fund. Botan. §. 209. aliique.
b) In Animadv. in Syſtem. *Linn.* §. 58. ad 62.

ſylveſtrium aſcendens, ramis magis diffuſis, curvis & contortis, id quod obſervari facile poteſt, praeſertim ſi inter vel iuxta alias pyri & mali arbores conſita eſt. *Fruticem* enim fere ſemper magis refert, quam arborem, praeſertim cum vix unquam recto trunco, ut pyri & mali, ſed multis ramis incurvatis ac diſtortis, mox prope radicem emiſſis crescat. Praeterea *folia mali & pyri*, ut ipſe *Linnaeus* ſtatuit, ſunt *ſerrata*, a) verum *in Cydonia non ſunt ſerrata*, ſed oris integris, imo integerrimis, ſicut idem ipſe dicit & loqui amat, aequalibus. Denique non ſolum integra ſunt, verum earum etiam facies ſuperior viridis, inferior autem incana & lanugine ſatis denſa, ſicuti fructus obducta. *Color* denique *ille peculiaris flavus*, tam in cortice quam carne §. V. Tandem in pyris plerumque *multi flores & fructus, quaſi in umbella, ſimul prodeunt*, qui in cotonea fere ſemper in quovis ramulo ſolent eſſe ſolitarii: nam nuperrime adhuc arbores cydoniorum largiter florentes perveſtigavimus & ubique unicum tantum florem in quovis ramulo conſpeximus, & nunc non niſi unicum fructum, tam in pyro, quam malo cydonia deprehendimus. Idem oſtendunt WEINMANNI Tab. 703, fig. b. c. de cydoniis & Tab. 842. de pyris. Quibus omnibus talis huius arboris facies emergit, ut hortulani & quamplurimi alii homines facile & promte hanc arborem inde cognoſcant & ab affinibus bene diſtinguant.

IX.

Novi quidem LINNAEUM *haec ſigna* pleraque, quae praeſtantiſſimi nos praecedentes & multi nunc adhuc viventes Botanici pro plantis cognoſcendis adhibuerunt, pro *notis generum characteriſticis admittere nolle*; ſed ſolum eas ex ſola, ut loqui amat, *fructificatione* b) h. e. ex *ſolo flore & fructu*, ac potiſſimum *partibus floris generationi dica-* Linnaeus male haec reiicit.

a) In horto Cliffort. p. 189. & 190.
b) In Fund. Botan. §. 164.

dicatis, *ſtaminibus* ſcilicet *piſtillo* & corolla, quam *florem* hactenus alii vocarunt, contra aliorum ſententiam & uſum deſumendas & petendas eſſe contendit. Verum praeterquam, quod revera abſonum eſt, *ob hypotheſin in Botanica recens confictam*, plantas confundere, earumque *nomina* antiqua & a longo tempore recepta cum aliis iisque minus aptis aut incongruis transmutare, imo multa horum ſine neceſſitate, ac cum damno e re medica exterminare velle, ut in aliis ſcriptis Botanicis, ſub directione CEL. PRAESIDIS hic ſenſim evulgatis a) evictum eſſe arbitror, atque hac nova *Linnaei* hypotheſi nihil boni, ſed tantum ingentes confuſiones in Medicinam & Botanicam, noxasque aegris inſignes, non ſolum generatim ex omnibus eiusmodi nominum in Botanica & Medicina uſitatorum mutatione inferuntur, verum & ſpeciatim ſi loco *cydoniorum*, quod nomen & genus ſi quid aliud, antiquiſſimum atque uſitatiſſimum eſt, expungeretur, atque pyra nomen & fructus, ut *Linnaeus* fecit, b) in pharmacia aut medicina adhiberentur, eadem ratione, ut *ſi loco aurantiorum*, *poma citrea* vel loco *abſinthii*, vel *abtrotani*, quae *artemiſiae* ſpeciem facit, in Medicina artemiſia adhiberetur, c) quo ipſo errores ac damna quam maxima in Medicinam introducerentur. Tantum enim imperium Botanicae in Medicinam, mea & plerorumque aliorum Botanicorum ſententia non competit, ut Medicina huic ſe accommodet; quia *Botanica eſt pars Medicinae miniſtra*, quae propterea huic accommodari & inſervire hancque illuſtrare & confirmare, non confundere aut deſtruere debet.

X.

a) Vt in Diſſ. de *folior. utilit. in conſtituendis plantar. gener.* 1732. 4. In Animadverſ. in *ſyſtema Linnaei* 1741. 4. In Diſſ. de *Nominum plantar. utili & noxia mutatione.* 1741. 4. In Diſſ. de *Aurantiis.* 1741. 4.

b) In Gener. Plantar. & hort. Cliffort. 190.

c) Conf. Diſſ. ILL. PRAES. de novo ſyſtemat. §. 72. ad 77. & de *Aurantiis* §. VII. ad. XII.

X.

Obiiciunt quidem hic varii *Botanicam eſſe partem hiſtoriae naturalis*, adeoque huic eam eſſe accommodandam, non Medicinae, atque ſic eam, ut hiſtoriae naturalis partem, ſine reſpectu ad Medicinam, eſſe tractandam atque excolendam. Verum quamvis lubens concedam, *Botanicam eſſe quoque partem hiſtoriae naturalis*, atque a nonnullis ſine reſpectu ad Medicinam coli, & excultam eſſe, dum quidam Theologi, quidam Iureconſulti, quidam etiam Philoſophi eam ſtrenue excoluerunt; tamen pauciſſimi horum fuerunt, atque hoc non obſtante nemo negavit vel negare hactenus ſerio voluit, *Botanicam etiam eſſe partem Medicinae*, & quidem partem non ex vilioribus ac theoreticis tantum, quae in ſola ſpeculatione conſiſtit, aut, ut quidam male opinantur, quae tantum animi cauſa, vel ex ſola *curioſitate*, ut quidam dicunt, vel pro tempore tantum grato modo, inter ſuaviſſimos flores ac ſtirpes tranſigendo, inſerviret, excoleretur; ſed eſt profecto potius *pars Medicinae ex maxime nobilibus* atque utilibus; dum Medicamentis e regno plantarum depromptis, graviſſimos multos morbos, ut omnibus notum eſt, lenimus, profligimus, atque funditus extirpamus.

Botanica hiſtoriae naturali an Medicinae magis ſerviat.

XI.

Quare mea eſt ſententia, *Botanicam magis, imo praecipue ob Medicinam & ſpeciatim a Medicis eſſe excolendam;* deinde etiam *ob cibos & potus*, quos nobis ſuppeditat, egregios & neceſſarios, quorum legitimo uſu vitam ac ſanitatem & conſervamus & reſtituimus, ut ſcilicet eas noſcamus plantas, quae nobis cibum & potum, ſuaviſſima vitae noſtrae oblectamenta & ſuſtentacula praebeat; porro *ob veſtimenta*, quae potiſſimum *ex lino & goſſypio* conficiuntur; poſtea & ob *uſus mechanicos & oeconomicos, ad exſtruendas ſcilicet aedes*, naves, & omnis generis *machinas*, *currus*, *molas*, itemque ad *varios colores* inde parandos. Denique ultimum locum mihi ille uſus occupare

Medicinae cauſſa maxime eſt colenda.

cupare videtur, quem quidam primarium facere volunt, hiſtoria naturalis, quando ſcilicet ad hanc *amplificandam*, *augendam*, *exornandam atque perficiendam*, (utpote qui in ſola fere iucunda & curioſa plantarum, quae animi recreandi cauſſa inſtituitur, ſpeculatione poſitus eſt) a nonnullis adhibetur: Cum ſane *plerique Botanici* hactenus mihi noti, *Medicinae cauſſa Botanicam potiſſimum coluerint* atque proſecuti ſint; id quod non ſolum ex Botanicis, tam veteribus quam novis, abunde conſtat; verum etiam ex iis, qui Medici non fuerunt, attamen de plantis aliquid memoratu dignum ſcripſerunt, ut IO. COMMELINO in Heſp. Belgicis & Horti Amſtel. Part. I. RAIO in Hiſtoria plantarum, FERRARIO de citriorum cultura, RHEDIO in horto Malabarico, PLVMIERII, FEVILLEI aliorumque obſervationibus botanicis, imo & ex illis, qui *Itineraria ſcripſerunt*, dum ſaepiſſime, quando plantae alicuius mentionem faciunt, aut illam omnino deſcribunt ac delineant, hoc eum potiſſimum in finem fecerunt, ut *utilitatem earum aliquam vel medicam*, *vel culinarem*, quatenus ſcilicet in Medicina aut cibo, vel utiles vel noxii, nobis indicarent atque docerent. a)

XII.

Praeſertim a Botanicis Medicis.

Itaque tanto magis illi, *qui Medici ſunt*, *ſcopum Medicum*, qui profecto nobiliſſimus atque praeſtantiſſimus eſt, *prae omnibus ſibi curae cordique habeant*, tanquam finem primarium, & in conſtruendo ſyſtemate botanico, nominibusque imponendis vel mutandis nihil faciant, quod in Medicina aliquam confuſionem, multo minus noxam aut damnum generi humano & cumprimis aegris inferre poſſit; ſed omnia in *finem Medicinae primarium*, qui ut tironibus eius notum, *eſt ſanitas*

a) Ex his nunc nominaſſe ſufficiat *Baldaeum*, in deſcriptione Malabariae, Coromandel, & Ceylanae Inſulae Cap. L. *Whelerum* in itinere per Dalmatiam, Graeciam &c. *Meiſterum* in itin. ad caput bonae ſpei, Bataviam atque Iaponiam; *Kolbium* in deſcriptione capitis bonae ſpei. *Nieuhovium* in legat. Batavica in Chinam.

nitas praeſens vel conſervanda, vel amiſſa reſtituenda, h. e. *morbos profligandi* atque aegros ſanandi, quodque huic in Botanica contrarium, omni ſtudio ab ipſis evitandum eſſe cenſeo. Qui enim *Botanicam ſolius hiſtoriae naturalis cauſſa colunt*, vel eam potiſſimum ſaltem ad eam pertinere exiſtimant, eos a recto Botanices ſcopo ac tramite aberrare, atque ſic MEDICINAE non ſolum nihil prodeſſe, ſed mutando vomina medica conſueta multum potius nocere arbitror. a) Variis ex recentioribus, *qui Botanicam hiſtoriae naturalis cauſſa potiſſimum coli*, D. PRAESIDI per litteras perſuadere voluerunt, contrarium oſtendit, & quod potius *in uſum medicum ob rationes dictas ſit excolenda*, adeoque & nominum in Medicina uſitatorum mutationem eſſe uitandam, ſuſtinuit, ita ad haſce rationes nihil reſponderunt: ſine dubio quod his nihil ſolidi opponere uſumque Botanices primarium medicum eſſe negare non potuerint.

XIII.

Proximum eſt, ut nunc ad *nominis* cydoniorum conſiderationem eorumque originem progrediamur. Cydonia igitur nomen a *Cydone* Cretae oppido accepiſſe vulgo traditur, quaſi mala ab urbe hac Cydone ad Graeciae & poſtea aliarum regionum urbes delata. Et ſicuti verbi cauſſa *Pruna, damaſcena* dicta, habemus, quae a Damaſco, ut dicunt, urbe ad alias delata, hoc nomen adepta ſunt, ita & cum Medica, china, molucca, moldavica, cydoniis multisque aliis fructibus & plantis factum eſſe multis exemplis probare poſſem. Cydonia vero ab illa *Cydone* urbe nomen accepiſſe PLINIUS auctor eſt: nam hic ait b): *Mala*, quae vocamus *Cotonea*, Grae-„ci *Cydonea*, ex Creta inſula advecta ſunt; hinc *Serenus* Poeta: Nominis cydoniorum conſideratio.

Aut quae poma cydon cretaeis miſit ab oris,

 Sal-

(a) Hoc prolixius iam oſtendit Cel. PRAESES in Diſſ. *de nominum plantar. mutatione utili & noxia*, itemque in ea, quae *de aurantiis* agit. §. VI. ad XV.

b) In Hiſt. naturali Lib. XV. cap. II.

Salmaſius hanc urbem potius *Cydoniam* appellatam eſſe vult a) Graecis itaque *κυδωνια μηλεα* THEOPHRAST. Hiſt. plan. Lib. II. & DIOSCORID. Lib. I. cap. 160. edit. *Saraceni*; fructus vero *μηλον κυδωνιον*, h. e. *malum Cydonium* vocata ſunt. Atque hoc nomine *Cydoniae* etiam uſus eſt RAIVS in hiſt. plantar. 1452. TOVRNEFORTIVS in Inſtit. p. 608. BOERHAVIVS in Ind. Plantar. II. p. 247. C. BAVHIN. in Pin. 434. DALECHAMP. hiſt. 291. LOBEL hiſtor. 580. & plerique alii Botanici Medicique fere omnes in ſcriptis practicis & pharmacevticis. Sunt quidem recentiores, *qui huius nominis originem negant*; verum cum veteres hoc memoriae prodiderint, illis maiorem hac in re fidem habeo. b) Vnicus eſt MACROBIVS, quem novi, qui pro Cydoniis, *Cytonia* per T. ſcripſit. Lib. VI. ſatum. Cap. 6.

XIV.

Cotonea mala quinam primo ita appellaverint.

Cotonea vero *mala* unde Latinis dicta ſint, non adeo planum eſt, atque hac de re inter ſcriptores diſceptatur. *Coтoneam malum* hanc arborem primus CATO appellaſſe traditur a IO. BAVHINO, c) deinde PLINIVS Lib. XV. Cap. II. affirmat RAIVS d) cum variis aliis ſcriptoribus Botanicis. Hoc ultimum vero falſum eſſe inde conſtat, quod CELSVS Medicus, qui, ut plerique eruditi credunt, ante PLINIVM vixit, *malum hoc cotoneum ſaepius nominavit & commendavit*, e) *ubi quidem in indice* eius varia loca evolui facile poſſunt, verum adhuc pluribus in locis a *Celſo* hoc nomen & medicamentum laudatum invenit ac notavit EXC. PRAESES (qua de re inferius plura) id quod quia a nullo ſcriptore Medico aut Botanico aut Lexicographo notatum inveni, hic praetermittere nolui, atque ſimul & hoc indicare, quod Botanici pauci elegantisſimum

a) Ad Florum Lib. III. cap. 7.
b) Qua de re videri poteſt IO. BAVHIN. Lib. I. p. 29.
c) Hiſt. plantar. Lib. I. p. 28.
d) In hiſt. plant. p. 1453.
e) Libr. de Re Medica.

ſimum CELSVM legiſſe videntur, quia quamplurimas plantas nominavit & commendavit, quas hi aliis iunioribus, tanquam primis, qui de eis locuti eſſent, adſcribunt, ſicuti & cum his cotoneis malis fecerunt: Interea tamen hoc nomine etiam utitur IO. BAVHINVS in hiſt. pl. 27. DODONAEVS Pempt. 795. LOBEL. hiſt. 580 aliique multi, idque pro ſynonymo cum *Cydoniis* recte habent. a)

XV.

(a) *Linnaeus* quidem ſynonyma generum plantarum reiicienda & unicum tantum nomen ſive vocabulum pro genere plantarum ſignificando adhiberi vult, atque ſynonymon ſaepe alii prorſus plantarum generi tribuit; verum hoc ſaepe ſine confuſione in Medicina concitanda non ſuccedit, ficut ex *helenio & enula*, *tuſſilagine & farfara*, *cydonia* & *cotonea*, aliisque variis manifeſtum eſt, ubi, ſi Medicus ſynonyma haec uſitata ignorat, ſcriptores Medicos ſaepius haud intelliget. Ineptum vero, imo ineptisſimum eſſe exiſtimo, quod LINNAEVS ſaepe in gen. ſuis plant. ex *ſynonymis Graecis & Latinis unam plantam ſignificantibus*, duo diſtinctiſſima genera faciat, ut

Apium, latinum;	Selinum, graecum;	Lentiſcus, latin.	Schinus, graec.
Auena, -	Bromos, -	Lilium, -	Crinum, -
Braſſica, -	Crambe, -	Lyſimachia, -	Lythrum, -
Cicuta, -	Conium, -	Marrubium, -	Praſium -
Cucumis, -	Sicyos, -	Ruta, -	Peganum, -
Equiſetum, -	Hippuris, -	Semperuivum, -	Aizoum -
Fragaria, -	Comarum, -	Senecio, -	Erigerum -
Fraxinus, -	Melia, -	Tamarix, -	Myrica -
Laſerpitium, -	Silphium, -	Veratrum, -	Helleborus -
Laurus, -	Daphne, -	Vrtica, -	Acalypha; -

quae omnia aliaque adhuc plura non niſi ſynonyma ſunt unam eandemque plantam ſignificantia, quorum alterum eſt latinum, alterum graecum, quae aeque inepte diverſis generibus plantarum dantur, ac ſi homo & ἀνθρωπος, diverſis animalium generibus dare quis vellet, aut diverſa genera animalium ſignificare deberent, cum idem ſemper animal, ſicut canis & κυνος, lupus & λυκος ſignificaverint, & adhuc apud eruditos ſignificant, atque ſolum pro ſynonymis ab omnibus prudentibus habita ſunt atque adhuc habentur, quae eadem animalia, ſed non diverſa ſignificant.

XV.

Quare ita dicta ſint.

Vnde vero vocabulum *cotoneum* ſive *cotonea* ortum traxit, altum eſt apud Lexicographos & Etymologos ſilentium. LONICERVS putat hoc ortum duxiſſe a *lanugine*, qua cincta ſunt (quae, ut hic ait, *Coton* graecis eſſet,) quod etymon doctiſſimus CASP. HOFFMANNVS quoque affert. Verum IO. BAVHINVS & cum eo RAIVS locis citatis monent, quod apud nullum probatum auctorem Graecum hoc vocabulum hactenus inventum ſit, multo minus, quod *coton* vel *cotonem* aut *cotona* lanuginem ſignificet; ſed ortum harum vocum barbariſmo potius deberi ex gallico & italico mutuatarum, quibus, ut & Anglis, *Coton* eſt *goſſipium*. Verum & hos doctiſſimos viros etiam hac in ſententia errare quam manifeſtum eſt. Si enim CATO, ſi CELSVS, ſi PLINIVS, vocabulis hisce iam, ut §. XIV. oſtendimus, uſi ſunt, certiſſimum eſt, eos haec ex gallica aut italica aut anglica lingua non deſumſiſſe, nec deſumere potuiſſe, quia hae linguae illis temporibus nondum erant. Igitur potius *originem eorum vocabulorum* incertam declarare, quam manifeſtiſſime falſam amplecti ſententiam maluimus.

XVI.

Alia ipſorum nomina.

Alii huius arboris fructus ob *aureum* ipſorum colorem, *aurea heſperidum mala* VIRGILIO aliisque veteribus tantopere decantata fuiſſe, quae graece *Chryſomela* ſive Χρυσεα μηλα vocarunt, non ſolum ſuſpicati ſunt, ſed multis argumentis probare voluerunt, ut GOROPIVS apud IO. BAVHINVM & poſt eum *Bodaeus a* STAPEL in comment. in *Theophr. Ereſium:* quorum argumenta apud ipſos videri poſſunt. Verum hoc nomine, licet quandoque a nonnullis ita appellata ſint, aeque tamen illud *convenire aurantiis*, dum utraque aurei ſunt coloris exiſtimamus, praeſertim quia ex Heſperidum hortis in Africa, unde mala aurea Herculem in Italiam apportaſſe fabulae perhibent, tam aurantia quam cotonea, frequen-

quentia ſunt. a) Aliis *cydomela* ſive *codymela*, atque VIRGILIO etiam *mala cana* (ob lanuginem qua obducta ſunt) atque ex his maxima Graecis *ſtruthia* dicta ſunt. b) Nobis fructus *Quitten*, & arbor eorum *Quittenbaum* appellantur, Anglis *the Quincetree;* Belgis *Queboom*, & *Queappelboom*, Gallis, *Coignier & Coignaſſier.* Silentio praeterimus nomina alia tam latina, a quibusdam data, quam graeca aliarumque hodiernarum nationum vernacula. Qui tamen ea ſcire deſiderat, evoluat IO. BAVHINI Hiſt. plant. Lib. I. pag. 28. & 29 itemque *Chriſt. Menzelii* Lexic. plant. polyglott. titulo, *Malus cydonia.*

XVII.

Verum omnia haec nomina graeca & latina LINNAEO non placuerunt, quacunque etiam vetuſtatis & praeſtantiſſimorum Claſſicorum auctoritate ſint ſtabilita, atque per longiſſimam annorum ſeriem approbata; ſed ad pyri genus ac nomen *cydoniam* reducere placet, ipſique *Pyrus foliis integerrimis* in horto Cliffort. p, 190. vocatur, quamvis conſueta cydonii vel cotonei nomina 1. longe ſint *breviora*, ubi unico vocabulo idem dicitur, quod ab ipſo tribus; 2. *antiquiſſima*, CATONIS, VIRGILII, CELSI, PLINII, aliorumque plurium claſſicorum ſcriptorum auctoritate ſtabilita; 3. hodie adhuc ubique *uſitatiſſima* omnibusque nota, 4. nihil quicquam abſurdi habent; 5. nullam noxam neque Botanicae inferunt, (quae ipſe ſeruanda eſſe ſtatuit in Fund. ſuis Botan. §. 239.) neque Medicinae. Ipſe praeterea in eodem libello §. 241. tanquam legem Botanices fundamentalem poſuit, *Nomina generica Patrum Botanices*, (ad quos ſine dubio THEOPHRASTVS, VIRGILIVS, CELSVS, PLINIVS, ET DIOSCORIDES referendi erunt) *graeca vel latina, ſi bona*

Ea omnia reiicit Linnaeus.

a) Vid. *Meiſteri* Iter orientale p. 179. mihi. & *Kolbii* Deſcriptio cap. bonae ſpei p. 267.

b) Vid. *Dioscorid. Saraceni* Lib. I. cap. 160. Io. *Bauhin.* Hiſt. Plantar. T. I. p, 29.

ſi bona ſunt, retineri debent, ut etiam uſitatiſſima & officinalia. Quod cydoniae & cotoneae nomina vitio quodam laborent, & non ſint bona, cum tot praeſtantiſſimorum ſcriptorum claſſicorum auctoritate ſint ſtabilita, dicere forte nullus ſanus poterit, multo minus, quod non ſint *uſitatiſſima & officinalia:* Interea tamen LINNAEVS contra propria ſua fundamenta botanica illa reiicit, aliudque nouum atque antea inauditum, praeter neceſſitatem, imo *falſum prorſus*, ut mox oſtendemus, producit & introducere conatur, atque *cydonias* ſive cotoneas *in pyrum foliis integerrimis* transmutare, ſicque quod uno vocabulo, tam diu aptiſſime appellatum eſt, atque appellari haud inepte adhuc debet ac poteſt, tribus verbis nominandos eſſe vult, quod nomen nullus niſi Botanicus Linnaeanus intelligit, cum cetera nomina uſitatiora, cydonia ſcilicet & cotonea fere omnes, qui latinam callent linguam ubique terrarum intelligant. Nihil iam dicam de confuſione, quam hoc nouum nomen in *Medicinam, Pharmacopœam & formulas medicas* introduceret; cum ea incommoda a mutatione nominum officinalium oriunda & metuenda iam ab ILLVSTR. PRAESIDE in aliis ſuis Diſſert. Botan. ſupra pag. 10. nominatis, prolixius indicata ſint. Accedit denique & hoc quod *pyra* ſint, quam plurima, quae etiam folia habent *non ſerrata ſed integra* ut cydoniorum, qualia hoc adhuc & ſuperiore menſe hic Helmſtadii in hortis non ſolum cum Cel. PRAESIDE vidi, ſed ita etiam pyrorum quorundam folia delineata videntur in WEINMANNI Herbario Tab. 842. & 843. quae tamen cydonia non ſunt, ita *ut differentia ſpecifica, quam inter pyra, poma & cydonia faciat nulla ſit*, ſed omnino falſa, quae ſane non altercandi, ſed veri cauſſa hic ſcribo. Atque ex his ſimul diſcere poſſumus, quantis erroribus illi ſe ſaepe immittant, qui ea, quae tam diuturno totius generis humani conſenſu ſtabilita fuerunt, carpere ac ſine ſufficientibus factis obſeruationibus reiicere ſuſcipiunt.

XVIII.

XVIII.

Videamus nunc *quaenam ſit aut fuerit cydoniorum origo.* Hanc ex Creta Inſula PLINIVS & *Sammonicus* SERENVS, ut ſupra iam (§. XIII.) indicauimus, deducunt. Verum & in multis aliis locis ea tam ſponte, quam plantatam creſcere exiſtimo; dum arbor eſt, quae tam in frigidioribus, ut Germania, Hollandia, Anglia, quam calidioribus, ut Gallia, Italia, Graecia, Africa, India orientali aliisque viget, floret, durat, & fructus maturos fert, praecipue in capite bonae ſpei, ubi omnium maximos praebet fructus. a) ſpeciatim autem CORDVS notauit, teſte RAIO, has arbores ſponte in Germania etiam creſcere in *Danubii petroſis ripis & collibus*, plurimumque ſupra *Ratisbonam* & Keilheymium oppidum, usque ad petreas fauces, per quas Danubius labitur. Ita Ioach. *Camerarius* in comment. ad Dioſcor. cotonea ſylveſtria in Bavaria, ſed Iacob. HORSTIVS in Herbar. Horſtiano, b) p. 187. *in quibusdam locis Auſtriae* ſponte creſcere memorant. In *alpibus* eam haud creſcere ſuſpicor, quia neque Clar. PONTEDERA, neque HALLERVS ipſam ibi vidiſſe memorant. Ita nec *frigidiſſimarum regionum*, uti *Laponiae*, ſpontanea incola eſſe videtur, quia nec *Linneus* in Flora ſua Lapponica eius mentionem facit. Interim tamen in plerisque, ſi forte non omnibus, etiam frigidiſſimis regionibus Europae in hortis eam coli, aut ſaltem coli poſſe, inde ſuſpicor, cum *Siegesbeckius* in horti Petropolitani catalogo plantarum p. 39 eam ut plantam illius horti referat. Reperiuntur itaque in tribus veteris orbis partibus; an vero *in quarta & nova, America ſcilicet, etiam creſcant* & cumprimis ſponte, reperire hactenus apud ullum ſcriptorem non potui.

Cydoniorum origo unde.

a) Vti *Kolbius* in Itinerar. ſuo de capite bonae ſpei, pag. 267 refert, itemque *Meiſterus* in Itiner. orient. idem de cap. bonae ſpei & de India orientali, ac praeſertim de Iaponia affirmat p. 179.

b) Fuit hic *Horſtius* Med. Profeſſ. Helmſtad. circa finem Seculi XVI.

Saltem in Wilh. Hoyheſii *Medico Americano*, qui alias omnis generis plantas ibi creſcentes & ſpeciatim, quae medicum habent uſum, hoc in libello deſcripſit, vel ſaltem nominavit, neque in SLOANI catalogo plantarum Inſulae Iamaicae, Barbados & vicinarum, neque in Cornuti Plant. Canad. neque in FEVILLEI & GRONOVII Flora Virginea, aliisque, quos evolui, aliquidde Cydoniis inveni.

XIX.

De ſpeciebus eius, quid ſit ſentiendum.

Quod ad ſpecies eius attinet, *Linnaeus* in gen. plantarum & horto Cliffort. *unicam tantum eius ſpeciem dari atque exiſtere ſtatuit*, ceterasque, quae ab aliis Botanicis nominantur & deſcribuntur tantum *eius varietates*, non ſpecies eſſe contendit. Interea autem, licet multi ſint, qui pyri, mali & Cydoniae genera valde affinia eſſe ante *Linnaeum* agnoverint, donec lis quid ſpecies, quidve varietates ſint, inter Botanicos ſit determinata, cum celeberrimis eum praecedentibus Botanicis, & ſpeciatim BAVHINIS, PARKINSONIO, RAIO, TOVRNEFORTIO, BOERHAVIO, TILLIO, MILLERO, GEOFROY, aliisque egregiis viris ſpecies, quas hi recenſuerunt, hic apponam, liberum cuilibet relinquendo, quas forte *pro veris ac diſtinctis ſpeciebus* aut ſolum pro *varietatibus* habere velit: quamvis & *varietates* in multis generibus *notare* & praeſtantiores e vilioribus prudenter ſeligere, res in Medicina ſit magni momenti, earumque contemtus, qualem *Linnaeus* de iis habet, in arte ſalutari ſit valde noxius. a) Sed, ut quid hac de re ſentiam, libere dicam, eas pro peculiaribus ſpeciebus habendas eſſe exiſtimo, quae *figura*, vel & *magnitudine inſigni* & conſtante valde a ſe invicem vel & *ſapore*, *odore* & *viribus*, uti u. g. abſinthium inſipidum ab officinali ceteriſque amaris & odoris differunt, aut *aurantia* acida pro dulcibus, amara prae inſipidis, ne in Me-

a) Hac de re iam ILL. PRAESES in diſſ de *Aurantiis* diſputavit, atque *Linnaei* neglectum & contemtum varietatum graviter redarguit.

Medicinam inertia pro officinalibus, ſapidis & odoris in uſum cum noxa trahantur. Imo *ſaporis in fructibus ac herbis varietas* curioſe potius eſt obſervanda, cum ex obſervationibus medicis acida refrigerent, amara contra, acria alcalica, & aromatica calefaciant; quorum itaque neglectus peſſimos & prorſus contrarios effectus in curatione morborum atque ſic facile ipſam aegris mortem inducit. LINNAEVS quidem in Fund. Botan. §. 157. dicit; *tot numerari ſpecies,* (*quando quid ſpecies ſit definire vult*) *quot diverſae formae in principio ſunt creatae.* Sed quis eſt, qui LINNAEO aliive dixit aut revelavit, *quae & quot ſpecies a Deo in principio creatae fuerint*? Igitur quamdiu quaenam & quot ſpecies uniuscuiusque plantae generis Deus principio creavit, meliori quam hucusque factum eſt, ratione non probabit, *incerti revera ſumus, quaenam ſpecies, quaenam varietates plantarum ſint appellandae*, praeſertim cum nullus quoque evincere poterit, Deum nullas prorſus plantarum, fructuum, aut florum varietates initio creaſſe, atque contrarium mihi longe ſit veriſimilius. Vt taceam nunc ipſarum varietatum, ut modo probavi, obſervandi utilitatem.

XX.

Itaque recenſebo hic eas, quas CEL. TOVRNEFORTIVS & cum eo alii pro diſtinctis ſpeciebus, vel ob figuram, magnitudinem, ſaporem, colorem aliasve qualitates agnoverunt, quales ſunt. Species variae recenſentur.

1. *Cydonia* anguſtifolia vulgaris. Tournef. 633. *Cotonea* ſylveſtris C. B. pag. 434. vid. icon folii, floris & fructus in *Weinmanni* Herb Tab. 763 Matthiol. 217. Camerar. 1282.
2. *Cydonia* fructu oblongo laeviori T. 632. *Cotonea* malus. I. B. 1. 27. *mala cotonea maiora.* C. B. pag. 434. & Dodon. p. 795. *Cydonia maiora* Rai. Hiſt. p. 1453.
3. *Cydonia* fructu oblongo laevi. dulci, *edulique* T. 632. ex Horto cathol.
4. *Cydonia* fructu oblongo, minore, lanuginoſo *non eduli.* T. 632. ex H. cathol.

5. *Cydonia* fructu breviori & rotundiori T. 633. *Cydonia minora* Raii Hiſt. 1453. *Cotonea* minora C. B. p. 434. & Dodon. p. 795. Hanc Galli *marem* vocant, *Coignier male.*

6. Denique *Cydonia latifolia Luſitanica* T. 633. Cotonea latifolia olyſſiponenſis H. R. Paris.

Harum tantum *quatuor* BOERHAVIVS in Horti Lugd. Indice p. II. p. 297. nimirum 1. 2. 5. 6. Tournefortii, omittendo illas duas, quas hic ex horto catholico deſumſit. TILLIVS in hort. Piſano p. 51. quatuor quoque habet, primam ſcilicet 2. 3. & quartam Tournef. MATTHIOLVS p. 221. *tria Cydoniorum* in Italia inveniri *genera ſcripſit*, inter quae primaria eſſe illa, quae *mala cotonea* appellantur, inciſuris interſecta, colore ad aureum inclinato, lanuginoſa, & longe ceteris odoratiora. 2. Maiora illa, DIOSCORIDI & GALENO *Struthia* vocata, *pyra cotonea* vulgo dicta, quae tamen colore, ſuaveolentia & viribus prioribus cedunt. 3. *Notha* appellat, quae tantum proveniunt ex cotoneis malis, quae Strutheis inſitae fuerunt, vel ex Strutheis, quae cotonearum ſurculos recipiunt. *Haec malis grandiora, pyris vero minora*, forma vero & facultate inter utrumque media. PARKINSONIVS in Theatro Bot. iam quinque recenſuit pag. mihi 1504. Nimirum.

1. Malum *cotoneam vulgarem* ſeu anglicanam, ut vocat, cuius deſcriptio cum ea convenit, quae & in Germaniae hortis eſt vulgatiſſima. 2. *Luſitanicam*, quae duplex ipſi habetur, a) *fructu mali*, magno ac flavo, guſtu adeo iucundo, ut crudus comedi poſſit, & coctus vulgari multo ſit delicatior. b) *Fructu pyri* praecedenti ceterum ſimili, qui tamen crudus eſui ineptus eſt. 3) *Barbaricam*, fructu, bonitate & ſaporis ſuavitate praecedentis aemulo, verum minore & non rimoſo, ſive ſulcato, (omittendo figuram fructus) 4) *Lugdunenſem*, quae fructu eſt mediocri, cydonio vulgari ſimili, ſed *non ita flavo*,

ut

ut Luſitanica; 5. *Brunsuicenſem*, pomo paene rotundo, nec malo nec pyro ſimili.

XXI.

IOH. BAVHINVS libro iam ſaepius citato, p. 31. duo tantum cydoniorum genera a) eſſe ſcribit: attamen tria illa *Matthioli* deſcribit, nimirum *cydonia* ſive *cotonea minora* C. B. & *cydonia maiora* C. B. 1) *Minora*, quae omnium vulgatiſſima, (ſcil. in Germania) pugnum vix aequant, circa pediculum turbinata, iuxta pythmena latiora, & quodammodo ſeſſilia, angulis toroſis, inaequalia, & veluti in longitudinem *ſulcata*, *colore* primum *virente*, ſed matura, *ſaturate aureo*, copioſa lanugine obducta, *odore grato*, ſed vehementi; *caro flava*, firma ac quovis pyro compactior; 2) *Maiora*, quae, ut praedicta magnitudine ſuperant, ita & figura & ab iis & inter ſe variant, ſic ut nulla certa ei adſcribi queat. *Cortice* haec longe laeviori cincta eſt; exigua aut nulla fere lanugine obducta. Dilutior etiam eſt eorum *color*. *Caro* minus firma, quam minorum, nec tam vehementem, ut illa odorem ſpargit. Haec *ſtruthea* eſſe Veterum exiſtimat BAVHINVS, & cumprimis DIOSCORIDIS, GALENI & AETII, qui maiora ita appellant; illa vero *cydonia* ſimpliciter dicta, *vera* eſſe *Dioſcoridis*, *quae optima pro uſu medico exiſtimat*, adeoque & ea ἀληδινα ſive *vera* appellat, quae maiorem vim roborandi & adſtringendi obtinent. Addit his tertium ut loquitur, genus, (eine dritte art, gattung oder Sorte, ut germani loquuntur) quod *miſcellaneum* vocat BAVHINVS, mala *cotonea media*, quae proveniunt e cotoneis minoribus, quae maioribus ſive ſtrutheis, vel contra e maioribus

Sententia Bauhini Milleri Geofroy.

bus

a) Hoc eſt, *ſpecies*: nam PLINIVS aliique veteres ſaepiſſime appellant *genera* plantarum, quas nos *ſpecies* hodie appellamus: adeoque *Bauhinus* hic adhuc more antiquo loquitur; dum probe novit, nomen cydoniae vel cotoneae non genera peculiaria, ſed ſpecies tantum includere.

bus ſtrutheis, minoribus, cydoniis ſcilicet ordinariis & veris *Dioſcoridis* inſita fuerunt. Egregius Botanicus Anglus, Philipp. MILLERVS, horti Londinenſis curator, in Lex. ſuo Botan. Londini 1731, edito in folio, tres ſpecies cydoniae recenſet, ut duas IO. Bauhini, nimirum

1. *Cydoniam fructu oblongo* laeviori. T. Cydonium ſcilicet *pyrum.*
2. *Cydoniam fructu breviori* & rotundiori. T. cydonium *malum*, &
3. *Cydoniam ſcil. Luſitanicam*, ſive lati foliam *Parkinſonii* ac *Tournefortii*, quam ob praeſtantiam maxime aeſtimari apud Anglos memorat; quod & *Parkinſonius* teſtatur. GEOFRAEVS Medicus Pariſienſis & recentiſſimus ſcriptor, in Lib. de Mat. Med. T. III. p. 366. plures arboris cotoneae eſſe ſpecies, ait, non niſi fructus magnitudine & forma differentes. Eas tamen dividit in duo genera, *ſylveſtre* ſive *vulgare*, ac *ſativum*, quod rurſus in duas ſpecies ſubdividit, nimirum in eam, quae *fructu* eſt *maiori* & quae eſt *minori*, omittendo *Luſitanicam*. MEISTERVS refert, in Iaponia dari *cydoniorum varia genera*, & quidem fructus adeo inſignis magnitudinis, ut maximos europaeos longiſſime ſuperent, quales etiam in capite bonae ſpei ſe vidiſſe teſtatur: id quod etiam KOLBIVS, in deſcript. cap. bonae ſpei, ut ſupra iam dixi, confirmat.

XXII.

Quaenam Cydonia ceteris praeſtent.

Dantur forte & aliae diverſitates aut ſpecies, quae omnes, *ſi genuino fragranti ſuo odore & ſapore adſtringente grato* praedita ſunt, tam pro ſuavi cibo & bellariis, quam pro medicamentis egregiis inde parandis, prae ceteris idonea ſunt. Interea tamen, quia duae ſpecies priores *Bauhini, Tournefortii* ac *Boerhavii*, quae & *Dioſcoridis* ſunt, apud nos in Germania Anglia, Gallia, Belgio aliisque regionibus vicinis frequentiores ſunt, paratuque prae

prae maioribus Luſitanicis, orientalibus & africanis, quae ceterum egregia & forte praeſtantiora etiam ſunt, faciliores, pro uſu medico vulgaria noſtra minora bene matura, illo odore ac ſapore genuino adſtringente, ſubacerbo, haud ingrato praeditae eligimus, primumque damus locum; repudiatis illis, e foro medico, quae vel nullum vel levem odorem aut ſaporem obtinent, tanquam minus efficacibus, aut omnino inertibus, atque ad medicamenta inde conficienda propterea inidoneis imo ineptis. Interim tamen ſi minora deficerent, e maioribus, antea laudatis qualitatibus bonis praedita, in horum locum apte ſuccedere, aut etiam loco eorum adhiberi poſſe exiſtimo.

XXIII.

Quod ad *culturam* cydoniorum attinet, propagantur, ut Eorum cultura.
IO. BAVHINVS docuit, & poſtea multi alii, qui de cultura plantarum & praecipue arborum ſcripſerunt, haud difficulter, *avulſione*, *inſitione*, *unitradice ſeu ſtolonibus*, *ramulis & taleis*, & poſtquam ſemel radices egerunt, durae ſunt, iniurias aeris & praeſertim frigoris egregie apud nos ferunt, levi poſtea cura indigent, atque non adeo facile pereunt. *Taleae ſive ramuli abſciſſi* & menſe Martio in loco humido plantati, plerumque radices agunt & ad frugem perveniunt, praeſertim ſi tempeſtate ſicca, aqua ſubinde irrigantur. Poſſunt tamen etiam *e ſeminibus* menſe Martio ſatis, novae arbores produci. Arbores vero e ſtolonibus productae ſaepius altero iam anno fructus producunt. a) *Coli ſolent in hortis* cum aliis arboribus frugiferis, quae in climate noſtro durant, ubi potiſſimum *loca frigidiuſcula aut umbroſa* amant, tam plana, quam declivia; *humidiora* tamen magis, *quam ſicca*; hinc ad rivulorum, ſtagnorum ac foſſarum ripas plantatae in Germania & Anglia optime creſcunt atque co-

D pio-

a) CAVSE Hortulanus regius, belgice de Koninglyke Hovenier, Amſtelod. in fol. cum fig. pag. 5.

pioſos, praeſertim ſi ſolum bonum eſt, ſaepe fructus ferunt, quos eo praeſtantiores dant, ſi vicinia a graminibus & zizaniis ſubinde purgatur, atque ſtercore equino bene putrefacto ſingulis alternis vel tribus annis ſtercoratur, & tempore nimis ſicco aqua ſubinde irrigantur. DAHVRON hortulanus Berolinenſis, a) laudat *ſolum arenoſum, ſiccum & leve*; verum apud nos in pinguiori melius creſcunt, attamen ſaporem meliorem in locis ſiccioribus adipiſcuntur, & citius matureſcunt. *Florere* hic ſolent plerumque circa finem Maii & initium Iunii, ubi pyra (quae circa finem Aprilis & initio Maii florere ſolent) iam fructus magnos, ut hoc anno factum eſt, oſtendunt; (qua itaque in re etiam a pyris differt) attamen pro tempeſtatis ratione modo maturius, modo tardius. *Fructus*, ſi aeſtas bona fuit, *matureſcunt* menſe Septembri; ſin minus favens, Octobri, id quod ex aureo ipſorum colore cognoſcendum. *Conſervantur* autumno in hyemem uſque quam optime, primo ſi tempore ſicco decerpuntur, vel ab arboribus reſecantur, linteo ſicco abſterguntur, & poſtea, ut diu durent, vel in arena ſicca, ſtramine diſſecto, paleis vel ſcobe aut & milio, vel avena reponuntur, in camera ſicca, ſic tamen ut ſe invicem non attingant; uvae autem ſi in eodem loco aſſervantur, brevi corrumpuntur & pereunt. Hae arbores non indigent magna cura, neque multa reſectione, ut variae aliae arbores. Sufficit, ut MILLERVS optime docet, b) ſi ſtolones iuxta truncum propullulantes ſubinde auferantur, & rami illi, qui decuſſatim ceteros ſuperſcandunt, reſecentur. Ita & luxuriantes rami in medio arboris aſcendentes, quandoque reſecandi, ne caput arboris nimia ligni copia obruatur, id quod plerisque arboribus frugiferis noxium eſſe ſolet, quia fructus inde quaſi ſuffocantur. *Iuniores huius plantae arbuſculae etiam valde aptae ſunt*, ut plerarumque arbor

b) In libro de Horti cultura germanice edito p. 446.
a) In Lexic. Botan. titulo Cydonia.

borum & cumprimis pyrorum praeſtantiorum, quas *humiles* eſſe deſideramus, (vulgo *zwergbaeume*) vel ad muros plantare volumus, (quas *Eſpaliere* cum Gallis vocamus) & quorum fructus aeſtate vel initio autumni matureſcere ſolent, ramuli vel gemmae ipſis inſerantur, quia arbores hae, quae cydoniis inſertae ſunt, non facile in altum nimis elevantur, atque ſic facilius in ſtatura minori coerceri poſſunt, id quod cum pyris tam commode fieri nequit. Optimi vero trunculi huic uſui apti ſunt ex *Milleri* ſententia, qui *ex reſectis ramulis producti ſunt.* Pyra vero aliive fructus hyberni his ſtemmatibus ex eiusdem observatione non apte inſeruntur: quia & fructus fiunt duriores & aſperiores, arboresque minus durant.

XXIV.

Quae *erucae* foliis & floribus cydoniorum delectantur & nutriuntur, videri poſſunt in *Merianae* Libro de Erucarum ortu, alimento & paradoxa metamorphoſi, Amſtelodami edito, multis cum figuris aeneis pulcherrimis in 4to ſine an. p. 8. 54. & 55. Erucae in Cydoniis viventes.

XXV.

Denique & *chemicum cydoniorum examen a* GEOFRAEO, Medico & chymico Pariſienſi iam ſupra laudato inſtitutum, a) hic addemus. *Analyſi chymica*, inquit, *ex pulpae malorum Cydoniarum* raſae Lib. IV. per vaporarium deſtillatis prodierunt *humoris limpidi*, *acidi & ſubauſteri*, Lib. I. ℥viij, ʒiiij, gr. IX. Maſſa in vaporario reſidua, fuſca, fere exſiccata pendebat ℥xviij, ʒvj: quae per retortam deſtillata praebuit *humoris primo limpidi*, *rufescentis*, deinde fusci, odoris & ſaporis empyreumatici ℥vij, ʒij gr. xxxvj: olei ℥j. Maſſa nigra in retorta reſidua pendebat ℥v, ʒvj: quae per 29 horas calcinata reliquit cinerum fuſcorum ſubrubentium ʒiij, gr. xxxvj. Partium iactura in deſtillatione fuit ℥viij, ʒvij, gr. xLviij; in calcinatione ℥v, ʒij, gr. xxxvj. Analyſis Chemica Cydoniorum.

D 2 CAP.

a) Libr. de Materia Medica Tom. III. p. 368.

CAPVT II.

TEMPERIEM, VIRTVTES MEDICAS ET PRAEPARATA MEDICA EX CYDONIIS EXPONENS.

XXVI.

Tranſitus fit ad vires.

Sed tempus nunc eſt, ut expoſita hiſtoria cotoneorum naturali, ceterisque ad theoriam atque conſiderationem externam pertinentibus, ad partes internas ſive *vires eorum medicas* exponendas progreſſum faciamus, & cumprimis nunc ad naturam atque temperamentum eorum exponenda accedamus.

XXVII.

Hae potiſſimum in fructibus.

In radicibus, ligno, cortice, foliis, gemmis & floribus ipſorum exponendis non erimus prolixi, cum parum vel nihil virium hucusque in his ſit obſervatum, atque haec omnia ſint quaſi fatua, ſine notabili odore ac ſapore, qui alias plerumque virtutes indicare ſolent. Interea tamen quia DIOSCORIDES Lib. I. Cap CLIX. a) aliique nonnulli foliis, floribus & germinibus *virtutem quoque aliquam adſtringentem* adſcribunt, hac de re inferius nonnulla dicturi ſumus. Cum vero *fructus illorum* non ſolum *fragranti* gaudeant *odore* ſed & *ſapore*, (§. V. & VI) atque ex his non vana virium atque virtutum, auguria conſenſu praeſtantiſſimorum Medicorum hodiernorum, capi queant, videndum, quid ex his ratione perſpicere liceat, & an indicia inde deſumta cum experientia conveniant.

XXVIII.

1. Quid odor illorum indicet.

In fructibus duae potiſſimum partes noſtra ſunt conſideratione dignae, nimirum *caro pomorum* & deinde *ſemina* ipſorum mucilaginoſa, ambae magnis revera viribus inſtructae medicis. *Fragrans* rerum medicarum *odor* particulas *volatiles* ſive

a) editionis Saraceni.

ve *ſpirituoſas* indicat, quae ſpiritus corporis noſtri deficientes augent & depreſſos ſive languidos excitant. Vnde revera percipimus, quod languidi ac debiles multi, quando fructus Cydoniae bonus & maturus eorum naribus admovetur, ei eadem fere ratione, ac ſi pomum fragrans citrium, flores aurantiorum, aut alia fragrans herba, flos vel fructus iis admoveretur, reficiantur, atque ſimul inde, quod intus aſſumti hi fructus, praeſertim rite praeparati, dum crudi vix aſſumuntur, vim quoque roborandi & confortandi obtineant, haud obſcure diiudicatur, ſicut id quoque longa experientia, tanquam optima in rebus medicis magiſtra, comprobatum eſt. Interea tamen, licet *fragrans odor* alias in plantis quamplurimis *temperiem calidam atque ſic virtutem* quoque *calefacientem* indicare vulgo ſoleat, tam temperata tamen eſt eorum indoles, ut nullus prorſus calor p. n. inde in nobis percipiatur, neque corpori humano ullus inde ſit metuendus; ſed tantum, ut ſine caloris augmento ventriculum, cor ac cerebrum moderate roborent, accuratis factis obſervationibus cognoſcimus & cum ex harum partium noſtri corporis principum robore, ceterae corporis noſtri partes, vires fere ſuas acquirant, patet inde roboratis partibus illis primariis, totum corpus ab his robur accipere. E contrario tantum abeſt, ut calefaciant, ut potius, ut infra mox oſtendemus, ſanguinis aeſtum ſive calorem nimium temperent atque modice refrigerent, ita tamen, ut, ſicut doct. Caſp. HOFFMANNVS de iis iudicat, a) temperatiora ſint plerisque, ſi non omnibus, reliquis pomis & pyris.

XXIX.

Sapor vero carnis fructuum eſt, ut ſupra iam diximus, *acerbus* atque *adſtringens*. Acerbum vero atque *adſtringentem ſaporem* in corporibus naturalibus dependere *a particulis acidis* 2. Quid ſapor acerbus.

a) Lib. de Medicament. officinal.

dis atque *terreſtribus* commixtis, praeter alias rationes, quas Medici & Phyſici attulerunt, facile ex *alumine*, ſale notiſſimo acerbo, probari poteſt, quod manifeſte ex ſpiritu acido ſulphuris aut vitrioli & terra cretacea, ut chemicorum experimenta demoſtrarunt, conſtat. Ita *acerbus ſapor in vitriolo & in fructibus horaeis* quibuscunque acerbis id confirmat, cum manifeſtiſſime acidum & terra in iis & ſapore & chemicis experimentis oſtendi queat. *Acidum* vero etiam *in Cydoniis* eſſe tam ſapor, quam potiſſimum analyſis chemica *Geofraei* (ſive Godofredi §. XXV.) clare evincunt, cum liquoris acidi & ſubauſteri largam copiam deſtillatione inde eduxerit; ita & *terrae* in ipſis praeſentia non ſolum dura carnis horum fructum compages, verum etiam eadem perquiſitio chemica oſtendunt. Praeterea haud contemnendum argumentum *pro virtute refrigerante* cydoniorum antiquus autor MACROBIVS profert, quando ait: a) Ex *fructibus arborum illi ſunt frigidiores, quorum ſuccus imitatur vini ſaporem*, ut *mala* ſeu ſimplicia, ſeu *granata*, vel *cydonia*, quae *cotonea* vocat CATO: b) nam eiusmodi ſapor in his deprehenditur.

XXX.

Ob acidum temperant.

Cum itaque *liquidum acidum* larga ſatis copia iis inſit, acidi vero fructus & herbae, ut modo dictum eſt, non calefaciant, ſed potius, ut experientia docet, refrigerent, aperte ſequitur, fructus cydoniorum quoque non calefacere, ſed fervorem humorum, ut plerique fructus horaei aciduli reliqui, temperare atque ſimul ſal ſanguinis acre ſive alcali feruidum, quod caloris p. n. in corpore humano plerumque cauſſa eſt, deſtruere, ſic ut eorum uſus in omnibus fere morbis, ubi calor praeter naturam, vel & ſal ſive acrimonia alcalica peccant, poſſit & ſoleat eſſe ſalutaris. XXXI.

a) Lib. 7. Saturnal. cap. 6.

b) Multos quidem ſcripſiſſe vidi *Catonem* primum haec poma *Cotonea* vocaſſe, ſed nullus locum indicavit, ubi hoc fecerit. Ego vero inveni hoc factum eſſe Lib. de Re ruſtica Cap. VI. §. VII.

XXXI.

Cum vero ex combinatione acidi & terreſtris principii emergat ſapor *acerbus* atque *adſtringens*, etiam in iis morbis, ubi adſtringendum & roborandum, fibraeque ventriculi atque inteſtinorum aliarumve partium denſandae & confortandae, atque ſic *ubicunque fibra peccat laxa* aut debilis, ſi prudenter ac recte adhibeantur, praemiſſis praeſertim praemittendis, bono cum ſucceſſu adhiberi ſolent. Adeoque *ſpeciatim ventriculo atque inteſtinis* a cauſſis quibuscunque nimis relaxatis, robur addunt novum, atque ſic ſenſim amiſſum reſtituunt, concoctionem labefactatam promovent atque reſtituunt, tam interne, quam externe adhibiti, atque nominatim *in vomitu & alui fluxibus quibuscunque*, *fluore albo*, *fluxibus ſanguinis nimiis* variae ex ipſis factae praeparationes, de quibus infra proponemus, egregie conducunt. Quare inter *praecipua ſtomachica* roborantia atque *adſtringentia* a praecipuis Medicis ſemper relati ſunt, & adhuc iure referuntur, atque etiam remediis dyſenteriae, graviſſimo ac periculoſiſſimo morbo oppoſitis, merito annumerantur.

Ob acerbum adſtringunt, roborant.

XXXII.

Sic ob acidum, quem continent ſuccum, itemque ob adſtringentem virtutem, *appetitum*, ut cetera ſimilia, poſſunt & ſolent excitare, ſed etiam ob acidum *ſitim* egregie temperant ac ſedant, praecipue *in febribus* bilioſis, ardentibus ac malignis, maxime ſi aegris his infuſum ſive *decoctum horum fructuum*, cum pauxillo vini & ſacchari, tunc pro potu ordinario exhibeatur, & quantum bibere lubet, ipſis concedatur.

Quid praeterea praeſtent.

XXXIII.

His univerſum ſic praemiſſis, videamus nunc *quid veteres de horum fructuum viribus* obſervaverint, ſcriptisque ſuis nobis reliquerint, & quid poſtea horum inventis recentiores

Dioſcorides quas vires ipſis adſcripſerit.

res addiderint. Prodeat primum ex Graecis DIOSCORIDES, ampliſſimus atque praeſtantiſſimus de materia medica ſcriptor. Hic in Lib. I. Cap. CLX editionis *Saraceni* ita ſcribit: *Cotonea ſtomacho utilia*, urinam cient; verum toſta mitiora evadunt, proſuntque coeliacis, dyſentericis, ſanguinem excreantibus & cholera laborantibus, praeſertim cruda. Quin & aqua, in qua haec ipſa macerata fuerint, potui data, ſtomachi ventrisque fluxione infeſtatis convenit. Crudorum eorumdem ſuccus aſſumtus orthopnoicis opitulatur: decocto ſedes & vulua foventur, ſi procidant. Cotonea vero, quae melle condita ſunt, & ipſa urinam movent; mel autem illorum conſtipantem conſtringentemque vim ſibi adſciſcit. Quae porro cum melle decoquuntur, ſtomacho quidem utilia ſunt atque ori grata, ſed minus conſtringunt. Cruda eadem cataplaſmatis adiiciuntur, ad cohibendam aluum, itemque contra ſtomachi everſionem & aeſtum, mammarum inflammationes ac lienes in ſcirrhum induratos, atque condylomata. Fit etiam ex ipſis tuſis expreſſisque, *vinum*, addito, quod diutius perennet, ad ſucci ſextarios ſedecim mellis ſextario uno: alioquin acorem contraheret. Prodeſt autem ad eadem omnia, quae modo dicta ſunt. Fit & oleum ex his, quod *melinum* vocatur; quo quidem utimur, quoties oleo adſtringente opus habemus, Ceterum *Cotonea eligere oportet vera ac germana* (ἀληθινα) qualia parva, rotunda & odorata ſunt. Quae vero *ſtruthia* & magna dicuntur, *minus utilia cenſentur. Eorum flores* ſicci aeque ac virides *cataplaſmatis* accommodantur, quae adſtrictionem deſiderant; atque etiam valent *ad oculorum inflammationes.* Contra ſanguinis reiectiones, alui profluvium, menſiumque *impetus utiliter in vino bibuntur.* Praeterea in capite praecedenti, nimirum CLIX, ubi de malis ſive pomis agit DIOSCORIDES, ita loquitur; *cum omnis mali, tum vero maxime cotoneae, folia, flores & germina adſtringunt.* Hucusque DIOSCORIDES. Atque cum hoc plerique Graeci alii conveniunt, nihilque fere notatu dignum addiderunt.

XXXIV.

XXXIV.

Pleraque haec de viribus & utilitate cydoniorum, quae DIOSCORIDES tradidit, vera ac perſpicua ſunt: ut nimirum quod ob vim roborantem *ſtomacho utilia*, quod ob hanc & adſtringentem virtutem *in alui & ſanguinis fluxibus* conveniant etc.; quoniam vero quaedam paullo obſcura videntur, parvo commentariolo ea illuſtrare conabor. Et quidem 1) *qua ratione urinam cieant.* Hoc vix ab adſtringentibus, ut tamen PLINIVS vult, a) ſed acidis ſalinis particulis fieri exiſtimo, eadem ratione, ut vinum rhenanum & moſellanum, itemque ſpiritus ſalis, nitri, aliaque ſimilia faciunt: conſentitque nobiſcum ETTMVLLERVS b) 2) *ſuccum crudorum orthopnoicis opitulari*, ait; id quod haud facile patet, qua ratione hoc fiat, neque etiam apud recentiores hoc legere memini. Forte hoc fit ſi dyspnoea aut orthopnoea a laxo ventriculo & flatibus oriantur, quod malum *aſthma flatulentum* hodie appellant, ubi vi ſua adſtringente ac roborante ventriculum flatus expellere, atque ſic reſpirationem liberiorem reddere & aſthma ſive orthopnoeam ſolvere poteſt. 3) *Decocto ſedes & vulva foventur, ſi procidant; hoc eſt, in inteſtini recti vel uteri* prolapſu, decoctum cydoniorum harum partium laxitatem egregie roborare poteſt, ſi hae partes relaxatae eo foventur, maxime ſi cum vino rubro decoquantur. 4) *Ratio, quod cydonia melle condita minus adſtringant*, mihi eſſe videtur, quod dulcedine & viſcoſitate eius vim adſtringentem demulceat atque ſic imminuat, id quod & *ſaccharum* ob eandem rationem facit. 5) *Quod tumores lienis in ſcirrhum induratos* cataplasma ex cydoniis paratum reſolvere poſſit, dubito, nec facile illud in hunc finem ſuaderem vel adhiberem. 6) Ita nec *oleum* vere *adſtringens* inde parari poſ- Commentariolus in hunc.

E ſe

a) Lib. de Re Medica Lib. IV. cap. 42, qui *Plinii* libri cum *Sorani* Iſagoge combinati, ſeorſim prodierunt. Baſileae 1528. in fol.

b) In Commentar. in *Schroeder* titulo Cydonia.

ſe exiſtimo; quia olea praeſertim ex oleo olivarum vulgari praeparata, ſemper magis relaxant, quam adſtringunt. 7) *Loco cataplasmatis ex floribus ad oculorum affectus*, mallem potius illud ex carne ſive pulpa fructus parare: ſicuti enim cataplaſmata ex pomis acidis coctis parata in oculorum inflammatione vehementi egregie proſunt, praeſertim ſi camphorae aliquot grana ipſis adduntur; ita eadem ratione ex cydoniis illa quam aptiſſime & longe melius, quam ex floribus fieri poſſe, nullus dubito. 8) *Contra ſanguinis reiectiones cydonia*, ſi in vino bibantur, laudat; hoc vero ita intelligendum eſſe credo, *ut vinum potius*, in quo cydonia per aliquod tempus infuſa ſive macerata fuerunt, *contra haec mala bibatur*, quam ipſa cydonia. Vbi rurſus vinum rubrum prae albo huic ſcopo maxime idoneum eſſe arbitror.

XXXV.

Quas Celſus, Plinius, Galenus & Avicenna.

Pergo nunc, ut exponam quasnam vires atque utilitates alias, ſcriptores alii de cydoniis obſervaverint; ubi primo loca quaedam ex egregio CELSO, a Botanicis adeo huc usque neglecto, adducam. 1, illud inter praecipua *ſtomachica* refert L. 2. cap 24. 2) *In exulceratione faucium* Lib. 4. cap. 4. §. 3. commendat aquam, in qua *malum cotoneum* decoctum eſt. 3) In hepaticis, ac ſpeciatim *hepatite* potum ex decocto mali cotonei Lib. 4. cap. 8. 4) *In ventris fluxu* cap. 9. tam pro medicamento quam cibo ea laudat. 5) pro gargarizatione, quando *tumores vel inflammationes faucium* reprimere, i. e. reſolvere volumus, aquam, in qua malum cotoneum dococtum eſt, adhibendum eſſe ſuadet. Lib. V. cap. 22. §. 9. 6) Deinque *ad condylomata* (quae tubercula ſunt ex inflammatione quadam nata) diſſolvenda, cataplasma ex his paratum. Lib. 6 cap. 18. §. 8. laudat; ſine dubio in pluribus adhuc locis eorum uſum proponit, quos vero nunc omnes inveſtigare haud vacat. PLINIVS ſcribit. a) Cydonea matura

a) In libro illo pag. 33. citato.

tura coeliacis, dyſentericis & ſanguinem reiectantibus proſunt; in cibo ſumta coquuntur, & cinere calidiſſima farina involuta, & aegris, quorum iam diuturna febris, ſine periculo dantur. GALENVS lib. II. de Aliment. Facult. cap. 21. 22. & 24. pulchre differit *de malorum, cydoniorum & pyrorum diverſis facultatibus ob diverſum ſaporem*, auſterum praeſertim, acidum & dulcem, atque ſic docte iudicat, quod in Medicina hae differentiae magni ratione virium ſint momenti, adeoque a Medicis ac praeſertim Botanicis minime negligendae, ſicuti tamen hoc tempore a nonnullis fieri ſolet. Praeterea in cap. 23. ſpeciatim de *cydoniis & ſtruthiomelis* ait, quod his pomis eximium quiddam inſit, quod in aliis non invenitur; nam praeterquam quod adſtrictionem habeant copioſiorem, *ſuccus* etiam eorum diu & per plures annos durat, *ſi quis eum cum melle coctum aſſervare* velit; cum aliorum pomorum ſuccus, ſi reponatur, aceſcat, atque illud peculiari obſervatione ibidem deſcripta confirmat. Ex *Cydoniis & Strutheis* hic ſuccus eadem ratione parari poteſt, ait, veram ex cydoniis minus eſt ſuavis, ſed magis adſtringens: quocirca *ad ventriculi admodum exoluti robur* eo uti poſſumus. Atque cum his ceteri Graeci & Arabes fere conveniunt. Interea tamen ut in ceteris Medicinae partibus, ita & hic aliquid addiderunt. Itaque AVICENNA, Princeps inter Medicos Arabes, a) non ſolum bonos effectus a praecedentibus deſcriptos, confirmat; verum primus etiam eſt, quantum novi, qui de ſirupo cydoniorum & *ſeminum uſu* aliquas utilitates notavit; de hoc enim dicit: *ſemen eſt lenitivum ſine ſtipticitate & confert aſperitati gutturis. De fructu* etiam aliisque inde factis praeparatis dicit, quod *ebrietati reſiſtant*, & poſt cibum aſſumta *aluum ſolvant.* Habet etiam *varia praeparata ſingularia* de quibus vero infra. Ab his igitur ad recentiores pergimus, & quidem primo ad *Matthiolum.*

a) In vol. 1. edit. Venetae Valgriſianae. A. 1564. p. 286. & ſeq.

XXXVI.

Matthiolus quas.

Cydonia omnia, ait MATTHIOLVS, a) praecipue tamen *mala* officinis in uſum medicum maxime expetuntur, b) nempe quod ex omnibus, praeter *vinum*, *mivam*, *oleum & quod diacydonium* vocant, (ex carne cotoneorum & melle coctis, paratum) conficiantur, & intinctus, & congelati i quores (vulgo *gelatina*) quae omnia non aegris modo apta ſunt, ſed etiam ſanis utilia aeque ac grata. *Si ante cibum comeduntur*, aluum ea ſiſtere; ſed ſi poſt eum, aluum movere cum *Avicenna* aſſeverat. Multi ferunt, praeterea ait, ut *ſi mulier praegnans cydonia* mala crebius eſitaverit, paritura ſit *infantem cum induſtrium, tum ingenioſum;* quod vero inter nugas referendum eſſe exiſtimo. *De ſeminibus cydoniorum*, de quorum uſu in Graecis & Romanis nihil me legere memini, ſcribit: ſi in aqua decoquantur, donec ius *mucaginem* contrahat, proſunt illita *omnibus inflammationibus* c) & linguae ſcabritiem (ſive fiſſuras) egregie laevigant. Deſcribit etiam compoſitum e cydoneis remedium, de quo autem infra.

XXXVII.

Quas Camerarius *Fuchſius* aliique.

Ioach. CAMERARIVS, municeps meus, in comment. ſuis *in Dioſcorid.* ubi de viribus cydoniorum agit, fol. 82. b. ita ſcribit. *Cydonia in Medicina ad uſus multos adhibentur*, dum in pharmacopoeis inde paratur ſuccus, ſirupus, electuarium, oleum, aliaque; *uſurpantur quoque ſemina*, folia & flores, ad ſiſtendos omnis generis fluxus p. n. *Cydonia aſſata & ſaccharo* (imo etiam cinamomo aut caryophyllis) conſperſa atque comeſta *fluxus alui* ſiſtunt, ſed ſine aromatibus etiam *fluxus ſanguinis cohibent. Electuarium diacydonium* in omnibus modo nominatis malis prodeſt, itemque ficut & cydonia elixa, ſi quis plus iuſto vini aſſumſit, ebrietatem prae-

a) Commentar. in *Dioſcorid.* Lib. I. cap. 131. pag. mihi 222.

b) *Pyra* vero, quia minus acerba, in cibo & bellariis praeferuntur.

c) in inflammationibus hoc remedio uti nollem, quia poros obſtruit, & recentiores propterea omnia mucilaginoſa, pinguia & oleoſa in his evitanda praecipiunt; in *ambuſtionibus* vero, aliisque variis malis egregium eſt remedium.

praeſervare aut ſaltem minuere dicitur. *Succum Cydoniorum* & aſthmaticis & haemoptycis *Dioſcorides* prodeſſe dicit, eumque ultra annum in vitro pro variis uſibus *conſervari poſſe*, ſi modo paululum olei ſuperinfundatur, quem & Hiſpani *contra morbos malignos* mane bibunt Externe *vapor ex Cydoniis*, praeſertim cum vino rubro coctis, ano aut utero admiſſus, in ani & uteri procidentia curanda multum valet, maxime ſi ut fomentum ſimul his partibus applicetur. *Cataplasma ex Cydoniis crudis* ventriculo impoſitum, alui fluxus & vomitus compescit, a) *Mucilago ſeminis cydoniorum* cum aqua prunellae parata, loco unguenti praeſtantiſſimi in *ambuſtis*, *ſiccitate & fiſſiuris linguae* adhiberi utiliſſime poteſt, imo ſi & loco *gargariſmatis* uſurpatur, ad faucium ardorem in febribus prodeſt. Atque haec pleraque confirmant *Tragus*, *Fuchſius*, *Dodonaeus*, *Ruellius*, *Tubermementanus*, *Lonicerus*, *aliique*.

XXXVIII.

Iacob. HORSTIVS, vir doctiſſimus, qui annis 1580. & 1590. ad finem usque illius ſeculi hic Helmſtadii Medicinae Profeſſor fuit, eamque multo cum applauſu docuit, etiam libellum ſcripſit, quod Herbarium *Horſtianum* vulgo vocatur, in quo cum de viribus ceterarum plantarum, tunc temporis uſitatarum, tum ſpeciatim *cydoniorum* tam egregie ſcripſit, ut mea ſententia maiores ſuos omnes ſuperaverit, & pauci poſteriores ipſum aequaverint b). Ita vero de „cydoniis ſcribit. pag. 187. Vires eius reſpectu ſubſtantiae „ſunt 1. reſiſtere veneno; 2. corroborare ventriculum & he„par. *Reſpectu temperamenti:* 1. refrigerare & exſiccare. 2. adſtringere; 3. ſiſtere fluxionem alui, profluvium menſium, fluxum album mulierum & ex aliis partibus omnibus, ma- Quas Horſtius.

 xime

a) ex coctis vero, praeſertim ſi his aromata adduntur, adhuc valentius illud evadere exiſtimo.

b) prodiit hic libellus poſt mortem eius Marpurgi a. 1630. in 8. cura Gregorii *Horſtii*, cui eiusdem Iac. *Horſtii* annexum eſt opuſculum *de vite & vinifera*, in qua de vini atque aceti viribus medicis egregie egit.

xime *diacytonium* ſimplex & *decoctum cydoniorum ſiccorum.* Vſus eſt in carne, in ſucco & in ſemine, & in floribus.

Remedia ex Cydoniis.

1. *Cydonia ſicca*, ſi comedantur ſaepius, dyſenteriam, & omnes fluxiones alui ſanant. 2. *Cydonia recentia* idem faciunt, ſed paulo minus. 3. *Cydonia ſicca* cum pomis ſiccis mixta & cocta, ſi comedantur, modice adſtringunt, & ventriculum, hepar & cor corroborant. 4. *Cydonia ſicca* in aqua decocta conſtituunt potionem contra dyſenteriam & fluxiones menſium. 5. *Mucilago ſeminis Cydoniorum* illita ambuſtas partes corporis ſanat, & dolores lenit. 6. *Decoctum cum Acacia* multo magis adſtringit, & contra dyſenteriam & fluxiones menſium prodeſt. 7. *Semen Cydoniorum decoctum cum hordeo toſto*, & in clyſteribus adhibitum, dyſenteriam, & inteſtina a dyſenteria, eroſa ſanat. 8. *Vinum Cydoniorum*, ſcilicet *ſuccus expreſſus*, in peſtilentialibus febribus, cum fluxione alui, efficaciſſimum eſt, ſi ſaepe bibatur. 9. Idem quotidie *contra peſtem*, ſemel aut bis efficaciſſime bibatur. 10. *Flores Cydoniorum exſiccati*, & mixti cum aliis adſtringentibus in emplaſtris, conveniunt inflammationibus ex fluxu materiae factis. 13. *Diacytonium ſimplex* (ſuccus cum ſaccharo inſpiſſatus) ante cibum ſaepius uſurpatum diarrhoeam & dyſenteriam ſanat. 14. *Diacytonium ſimplex exſiccatum* cum pulvere Tormentillae, Acetoſae & aliis, mixtum, & in pulveris forma cum aqua foliorum quercuum epotum, adhuc commodius dyſenteriam ſanat, & tormina ventris lenit. 15. *Diacytonium ſimplex* poſt cibum ſumtum vomitum ſedat. 16. *Diacytonium compoſitum Nicolai* corroborat ventriculum, praeſertim nimis refrigeratum & flatus quoque diſcutit. 17. Idem matrici lubricae & *ſterilitati* humidae prodeſt. 18. *Diacytonium Galeni* optime prodeſt viſceribus, tum ante prandium & coenam 2. horis, tum etiam poſt uſurpatum; diverſum tamen pro diverſitate naturarum praeſcribitur. Pro *hominibus temperatis*, ℞. Carnis Cydoniorum, mellis aa. ℔ij. ℥iij. coqu. lente, &

optime

optime deſpumetur, donec fiat *Diacytonium. Pro hominibus pituitoſis & firigidis.* ℞. carnis cydon. ℔iij. ſacch. tantundem, aceti, ℔ij. ℥iij coqu. & deſpum. l. a. adde zingib. ℥iv. piperis ℥iij vel paulo minus, M. F. *diacytonium. Pro bilioſis* optimum eſt, vbi aromata omittuntur. *Pro ſanguineis.* ℞. carnis cydon. libr. iij. ſacchari tantundem, aceti ℔ij. ℥iij. coqu. & deſpum. poſt adde piper. ℥j. Zingib. ℥iß. Pro *Melancholicis* eodem modo paratur, niſi quod recipiantur Zingib. ℥iij. & piper. albi ℥ij. 19. *Cydonia condita* ſi comedantur mane, vel etiam alias interdiu ſaepius, fluxum alui & vomitum ſedant. 20. *Miva* (ſive ſyrupus) *Cydoniorum* cum potione purgante permiſta, praeſervat a vomitu, ne ſtatim reiiciatur. 21. *Cortices Cydoniorum* decocti in aqua cum ſemine ſumach & radice tormentillae, ac in fomentatione adhibiti, procidentiam cervicis uteri corrigunt.

XXXIX.

Quas Parkinſonius.

PARKINSONIVS, Botanicus Anglus, qui circa initium ſaeculi XVII. vixit, in Theatr. Botan. a) pag. mihi 1505. de cydoniis ſcribit: *Cydonia ſtomacho grata*, attamen magis *cocta vel aſſata*, quam cruda. Verum *cruda* ſive recentia ad omnis generis fluxus in viris & feminis, ubi adſtrictione opus eſt, potentiora ſunt, quam alia quacunque igne praeparata. Sed *ſirupus* ex ſucco, vel *conſerva*, mitiora ſunt, cum aliquam virtutis ſuae partem igne amiſerint. Si *parum aceti* iis additur, appetitum languidum excitant; *oleum cydoniorum* pro ventriculo roborando & alui fluxibus ſiſtendis externe laudat. *Mucilaginem* in linguae fiſſuris, & *lanuginem* cum vino coctam ad vulnera ſananda commendat. Praeterea in libro, quem inſcripſit *Paradisus terreſtris* b) pag. m. 589. de *Cydoniis* dicit. *Nullus fructus eſt in Anglia, qui tam variis ac multis virtutibus ſit inſtructus, quam hic*, aeque bene

a) An. 1630. Londini in fol. edito.
b) An. 1656. Londini in folio impreſſo.

bene in cibo & conviviis, quam in medicina utilis, imo adhuc magis in hac, quam in illo, proficuus. Vſurpatur in ſubſtantia, ſucco, ſirupo, condito, interne & externe; *Mucilago ſeminum* in papillis mammarum ulceratis ſanandis utiliſſima, & *hellebori vehementiam* cydoniorum praeſentia & exhalationibus mitigari aſſeverat.

XL.

Io. Bauhinus quas.

Io. BAVHINVS fere eadem de viribus refert, quae *Dioscorides* (§. 33.) eisque adhuc ſubiungit, quod nimirum *cremor eorum* (quo nomine forte *mucilaginem* intelligit) in alui fluxibus commode bibatur *Vinum*, (quo ab ipſo *ſuccus* intelligitur) inde exprimatur, variis in malis, vbi adſtrictione opus, remedium praeſtantiſſimum. Cui mel adiungendum eſſe ait, ne aceſcat. De HIPPOCRATE dicit, quod *ad dyſenteriam curandam* mala cydonia diſſecta in aqua infundenda & maceranda iuſſerit, atque aquam illam aegris his bibendam ſuaſerit. De GALENO vero, quod ſuccum melle coctum, (quod praeparatum *diacydonium* dixerunt) ad tonum ventriculi roborandum valde laudaverit. *Succum cum vino dulci* mixtum & per intervalla hauſtum, contra coeliacos, hepaticos & ſpleneticos affectus commendat, imo, & hydropicis ſuccum utilem eſſe pronunciat. *Hollerium* lanuginem cydoniorum ad haemorrhagias cohibendas efficacem eſſe affirmare. *Mucilaginem ex ſeminibus* aqua roſarum paratam, ambuſtis, linguaeque & faucium ardori mederi, ſi saepius iſtis partibus illinatur. *Vinum* inde *paratum* adſtringere, ſtomachicum, antidyſentericum, hepaticum, nephriticum & diureticum eſſe. *Mel cydoniorum* tandem virtutem habere ac mel roſarum, adeoque & in iisdem malis, quibus illud, adhiberi poſſe.

XLI.

Auctores Varii.

Caſp. HOFFMANNVS, a) Io. SCHROEDERVS b) Frid. HOFF-

a) Lib. de Medicamentis officin. p. 428.
b) In Pharmacop. ſua ſaepius laudata.

HOFFMANNVS Pater, a) Sim. PAVLI b) ETTMVLLERVS in comment. ad *Schroederum* p. m. 560. RAIVS in hiſt. plant. ceterique ſcriptores Medici recentiores in eo omnes cum praecedentibus fere conveniunt, quod hi fructus *egregia virtute ſtomachica*, *roborante atque adſtringente*, in ſupra indicatis morbis, fluxibus ſcil. alui, & ſanguinis nimiis, ſint donati; *ſeminum* vero *mucilago* emolliente, demulcente, leniente & glutinante polleat, adeoque, ne nimis fiam prolixus, eorum verba ſpeciatim hic non apponam; ſed qui ea noſſe volunt, ad ſcriptores hosce ablegabo. Interea tamen pauca eaque notatu maxime digna ex *Ettmullero* hic adhuc addere placet. In *vomitu* ait, cydonia non poſſunt ſufficienter commendari. SCHENCKIVS L. 3. obſ. p. 334. in *ventriculi affectibus* laudat cydonia tam *interno*, *quam externo uſu;* ſimul ex pulpa cum aliis appropriatum parat *cataplaſma*, quod ſtomacho applicat, ad affectus eius praecipuos, a debilitate pendentes, corrigendos; qua de re etiam videri poteſt RIVERIVS & HARTMANNVS. Succum ſeu *vinum cydon.* in laxitatibus & atonia ventriculi, indeque in vomitu, diarrhoea &c. ut miraculoſum c) praedicat, & cumprimis *in vomitu* mixtura ſequens ut probatiſſima valde laudatur: ℞. aq. menth. ℥ij. aq. cinamom. ʒvi. ſucci cydon. ℥j. ♎ vitr. l. gtt. vj. ol. ꝯt. cinam gtt. IV. vel ſaporis gratia elaeoſacch. cinamom. ℈ß. M. quae ſaepius ſumenda. *Succus cum aqua dilutus*, addendo parum vini, praebet *Iulebum ſuaviſſimum in febribus acutis*, ardentibus bilioſis, & ſimilibus, praeſertim cum diarrhoea colliquativa iunctis, ubi ſimul *appetitum provocat & ſitim* mitigat. Idem *ſuccus* alexipharmacum eſt veneni hellebori albi, vid. *Pechlinus* de purgant. pag. 306. atque inſtillatus vulneribus venenatis, venenum certo tollit, ſicut FORESTVS iam antea Lib. IV. Obſ.

a) In clave pharmac. Schroeder. p. 466.
b) In Quadripart. Botan. pag. m. 83.
c) Vid. *Gabelchoverus* cent. 3. curat. 70.

10. notavit, ubi omnes in bello turcico telis venenatis vulnerati, *impoſita carne cydoniorum dentibus contrita*, curati fuerunt, praeſertim ſi manducans adhuc ieiunus fuit. *Miva* a) *ſive panis cydoniorum* commendatur magnopere contra apepſiam & anorexiam, praeſertim ſi ſolvatur ſuper ignem in vino maluatico ad conſiſtentiam pulmenti: cui addatur Nucis moſch. N. j. Zedoar. Caryophyll. aa. ʒj. M. de qua quantitas nucis moschatae ſaepius aſſumatur, qui panis etiam calide ventriculo in variis eius morbis applicari & ſubinde reiterari poteſt. *Hac de miva Zacutus* LVSITANVS notatu quaedam digna refert contra praedicta ſtomachi vitia, Lib. 2. Medic. Princip. hiſt. 67. eamque componi vult ex ſucco cydon. cum melle cocto, adiecto poſtea pauxillo piperis albi, zingiberis & aceti, ſec. *Galen.* Lib 2. de aliment. facult. Cap. 23, quam ut & *cydonia ſaccharo condita* NONIVS de Re cibar. Lib. 1. cap. 30. valde laudat, & quod quoque cydonia recentia odore ſuo fragranti *cordi & cerebro mire ſubveniant* aſſeverat. Remedia ex cydoniis plura & praeſertim cydonia condita, miva, electuarum, aqua cinamomi cydoniata etiam in *ſingultu*, itemque *praegnantibus* & *foetui debilibus roborandis* atque ſic *ad abortum avertendum* egregie conferunt. Atque haec ſunt, quae de viribus & uſu cydoniorum, hic proferre volui.

XLII.

Praeparata ex cydoniis l. veterum Dioscoridis, Celſi.

Conſideratis igitur huc usque viribus cydoniorum in univerſum, videamus etiam nunc *quaenam ex eis* PRAEPARATA in uſum medicum & diaeteticum hactenus excogitata & facta ſint, & adhuc fieri ſoleant; vbi vero mox indicare fas eſt, quod quaedam ab autoribus nominibus confundantur, quae tamen unum idemque ſunt, & pleraque easdem obtineant virtutes medicas, quas generatim hactenus de

a) De *miva* notandum, quod vario modo a variis uſurpetur, & modo pro ſirupo, modo pro pane ſive maſſa ſolidiore, ut hic.

de cydoniis §. 27. ad 41. indicavimus. In uſu autem apud *veteres*, teſte DIOSCORIDE §. 33. fuerunt praeparata valde ſimplicia, nimirum *infuſum cydoniorum* in aqua; 2. *infuſum in vino;* 3. *ſuccus* 4. *decoctum.* 5. *cotonea melle condita*, 6. *mel cydoniatum*; 7. *cataplasma*, 8. *vinum* (fermentatione, ut ſuſpicor, cum melle paratum) & 9. *oleum.* In CELSO praeter decocta, gargarismata & cataplasmata, quae §. 35. iam indicavimus, ſequens adhuc inveni *medicamentum compoſitum*, Lib. IV. cap. 19. ab ipſo deſcriptum, quod inſtar *ſucci inſpiſſati aut rob*, (ut Arabes vocare ſolent) ſe habere videtur, atque *contra alui fluxus* ab eo maxime laudatur. Ad „quod parandum, ait: *Vindemiae tempore in grande vas conii*„*cienda ſunt pyra atque mala ſylveſtria*, hisque adiicienda ſunt „*cotonea*, & cum ipſis corticibus ſuis *punica*, *ſorba*, quibus „maxime utimur, etiam *torminalia*, ſic ut tertiam ollae partem teneant, tum deinde ea muſto implenda eſt, coquendumque, donec omnia, quae indita ſunt, liquata, in unitatem quandam coeant. Id *guſtui*, dicit, *non inſuave* eſt, & quandocunque opus eſt, aſſumtum, *leniter ſine omni ſtomachi noxa ventrem tenet*, & duo aut tria cochlearia uno die ſumſiſſe ſatis eſt.

XLIII.

PLINIVS libr. de Re medica lib. IV. cap. 42. *vinum ex* cydoniis deſcribit, quod ſpecie, guſtu & odore cuiuslibet vini veteris, ut ait, imaginem repraeſentat, & Graeci *hydromelon* appellant, *quod ita* optime *parandum eſſe docet.* Poſt caniculares aeſtus, inquit, aqua pluvialis mundo vaſe ſuſcipiatur, & in umbra poſita ſaepius colatur. Tunc cydonia bene matura ac mundata, atque in fruſta conciſa, immerguntur huic aquae, & tam diu ibi relinquuntur, donec in ſuccum tranſiiſſe malorum vini colore prodatur, quam diligenter colatum, & in vaſa picata diffuſum eiusmodi in loco ſervare ſolenne eſt, ad quem maxime fumo, & ſi fieri poteſt, ſoli negetur acceſſus, quo ſeptimo menſe pro vino uti licebit.

Plinii, Columellae, Palladii.

licebit. Idem lib. I. cap. 6. *unguentum* confici docet ex cydoniis coctis in vino & cum cera tritis, quod illitum *capillos reſtituere* aſſeverat. COLVMELLA de cydonii generibus, ſcribit, quod omnia non ſolum voluptatem, ſed etiam ſalubritatem afferant, Lib. V. de Re ruſtica cap. X. §. 19. p. 561. edit. *Geſner.* pag. 805. *vero*, *quomodo condienda ſint*, fuſe exponit: quod vero brevitatis gratia, hic praetereo. Sed PALLADIVS in eod. libro p. 926. ea bene matura ſolum in vaſe fictili, vel integra vel diſſecta, *melle obruit*, atque ſic condit & a corruptione praeſervat.

XLIV.

Galeni Avicennae, Myrepſii.

GALENVS Lib. II. de Aliment. facult. cap 23. a) ait: In *Iberia edulium componunt ex melle & carne cydoniorum laevigata cocta cum melle*, quod ad praedictos uſus utile eſt. *Noſtrum autem*, ait, *medicamentum*, quod iis, qui deiectam habent appetentiam, non ex melle ſolo & malorum ſucco conſtat, ſed & piperis albi habet quidpiam & Zingiberis & aceti. *Hanc compoſitionem tanti fecit Galenus*, ut Lib. VI. de ſanit. tuend. §. 20. mihi pag. 399. eam iterum, ſed uberius & accuratius deſcripſerit, ea cum obſervatione, ut pro diverſo aegrorum temperamento & morbo, nunc aromata omittat, nunc eorum copiam augeat. Porro Cydonio malo excavato *ſcammoniam immittit*, deinde illud oblinit & aſſat, ac poſtea malum edendum exhibet, quod ita praeparatum *absque ſtomachi ſubverſione alvum ſubducit*. AVICENNA primus, ut ſupra §. 35. iam innui, *ſirupi Cydoniorum* mentionem fecit atque etiam deſcripſit, quem & *mivam* appellat, eiusque praeparandi modum tam ſine, quam cum aromatibus Tom. II. pag. 287. & alios duos pag. 288. pro variis roborandi uſibus prolixe & ample tradidit: ita & quomodo *Rob de Cydoniis* ſit faciendum, primus forte quoque docuit p. 289; qua autem ratione *Cydonia rite ſint condienda*, tam absque quam cum aromatibus

a) Edit. Baſil. per Conr. Geſner. edit. 1549 Tom. II. p. 72.

matibus diverſa ratione accurate pag. 290. & 291. propoſuit: quae vero omnia, & forte plura adhuc alia, ne nimis prolixa haec mea fiat diſſertatio, ſilentio nunc praetermitto. Ita & Nicolaus MYREPSIVS, qui ſeculo XI. vel XII. vixiſſe creditur, in opere eius de Medicamentis a) plures habet formulas & compoſitiones medicamentorum, ad quas Cydonia recipiuntur; verum ob eandem rationem eas nunc quoque omittere conſultum duxi, atque ad auctores ipſos Lectores ablego, meque a temporibus hisce barbaris ad recentiores conferam.

XLV.

Apud hos plura, ut dies diem docet, occurrunt, ex Cydoniis praeparata, quorum hinc inde aliquod eſt deſcriptum, verum IO. SCHROEDERVS in Pharmacopoeia ſua Medico-Chymica, ſub titulo *Cotonea malus*, iam a centum abhinc annis tam multa collegit, ut vix aliquis ſit, qui vel ante vel poſt eum plura ſimul collegerit ac deſcripſerit, niſi hoc factum forte ſit in libello, quem Ge. Sebaſt. IVNGIVS, titulo χρυσομηλον ſive *malum aureum*, h. e. de *Cydoniis*, Vindobonae 1673. 8. evulgavit, de quo vero nunquam antea aliquid audivi, neque eum librum hucusque vidi, ſed eius demum libri notitiam nominalem forte fortuna, cum maxima pars huius diſſertationis iam typis exſcripta eſſet, hisce diebus, aliud quid inveſtigando, ex *Lindenii* de ſcriptis Medicis libro accepi, ipſum autem hunc libellum hic invenire, & cum meis collectaneis conferre non potui. Ille vero *Schroederus* ſequentia habet. 1. Cydonia condita. 2. eorumdem vinum, 3. rob. 4. diacydonium. 5. marmelatam, 6. mivam cydoniorum ſimplicem, 7. mivam cydoniorum aromatizatam. 8. diacydonitem vel diacydonium ſimplex. 9. diacydonitem vel diacydonium compoſitum. 10. diacydonitem laxativum. 11. eſſentia ſeu ſpiritus,

2. Recentiorum in univerſum.

a) Prodiit Lugduni 1549. cura Leonh. *Fuchſii* 8.

tus. 12. oleum per infuſionem. Verum plura adhuc ſunt illorum, & quidem non nullorum egregiorum, quae miror, quod vel recentiſſimi varii de re medica ſcriptores omiſerint. Sed opportune adhuc paucis abhinc diebus in manus meas incidit Diſſert. quaedam perbrevis accademica, quam Dan. Ludov. *Plock.* ſub Io. Phil. EYSELII praeſidio *de Medicamentis ex malo Cydonio* praeparatis Erfordiae an. 1717. in 4. plag. duabus publicavit, in qua auctor fere nihil aliud egit, quam quod XII remediorum ex Cydoniis paratorum compoſitionem deſcripſerit & uſum breviter indicaverit, quae haec ſunt: 1. Aqua cinamomi cydoniata. 2. Tinctura opii Langelotti cum ſucco Cydoniorum. 3. Diagrydium ſeu ſcammonium Cydoniatum 4. Tinctura coralliorum cum ſucco cydoniorum. 5. Mucilago ſeminis Cydoniorum compoſita 6. Diacydonium ſimplex. 7. Diacydonium compoſitum. 8. Oleum Cydoniorum. 9. Lanugo. 10. Rob. Cydon. 11. Panis Cydoniorum & 12. Vinum cydoniorum: quorum omnium conſiderationem, aliorumque ab his omiſſorum, mox ſuſcipiemus.

XLVI.

Exſiccatio & mos condiendi.

Videamus igitur nunc quomodo *praeparata ex Cydoniis* conficiantur: ubi vero cum videam *modum ea exſiccandi* atque & ſic pro uſu aſſervandi tam a veteribus, quam recentioribus a §. 42 ad 45. eſſe omiſſum, eum hic praetermittere nefas duxi, cum multi varium uſum eumque egregium obtineant. Itaque quando *exſiccata* ea aſſervare volumus, a cortice & ſeminibus purgantur, in fruſta quatuor, ſex vel octo diſſecantur & filo perforato in aere ſuſpenduntur, donec exſiccata ſunt; vel & in clibano blande exſiccantur, ac pro futuro uſu aſſervantur. Inſerviunt haec, ut non ſolum pro ſcopo adſtringente in omnibus illis malis, in quibus hactenus laudata ſunt, *in pulvere a* ʒß ad. ʒj. exhibeantur, verum etiam vt inde fiant infuſa, decocta, cataplaſmata & varia alia, cum a veteribus tum recentioribus

huc-

hucusque commendata & remedia & edulia, tam pro aegris quam etiam pro ſanis. Quando vero ea *condire* volumus, apud veteres eadem, qua modo diximus, ratione purgabantur ac diſſecabantur, atque affuſſo melle, vel etiam cocta in melle ſimul aſſervabantur. Hodie vero plerumque ſaccharo ſoluto & inter coquendum deſpumato condiri atque ad uſum aſſervari ſolent; quibus multi partim grati ſaporis, partim maioris virtutis roborantis atque adſtringentis cauſſa fruſtula cinamomi & caryophyllos aromaticos integros addunt, imo & cydoniorum fruſtis eos infigunt, vel & alia aromata ac roborantia more Arabum §. 43 adiciiunt: quibus revera in ventriculi & inteſtinorum morbis a cauſſa frigida ortis & in temperamentis frigidis longe maior virtus, quam ſi haec abſint, ipſis conciliatur.

XLVII.

Sub *vini Cydoniorum nomine* nonnulli nil niſi *ſuccum* Cydoniorum ex iis tuſis expreſſum intelligunt, ut *Ettmullerus*, qui hunc *omnibus aliis ex Cydoniis praeparatis praefert*, pag. m. 1198. a) Verum IO. SCHROEDERO eſt ſuccus liquidus, cui admixtum eſt tantillum ſacchari. *Godofredus* vero dicit, quod fiat ex fructibus tuſis, expreſſis, & cum melle fermentatis, *vinum melites* vel *cydonites*, quod etiam parari ab aliis coniiciendo tantum cydonia mala fruſtulatim ſecta in dolium vino repletum. Haec ultima mihi proprie vina dici videntur, & vinum hic a cydoniis, cydonia vero a vino maiores vires roborantes acquirunt; priora vero tantum ſuccus cydoniorum, isque vel *ſimplex*, ſi nihil quicquam ipſi admixtum eſt, niſi forte pauxillum olei, quod pro meliore eius conſervatione ipſi ſuperinfundi ſolet; alter vero *ſuccus Cydoniorum ſaccharatus* dici poteſt. *Rob cydoniorum* eſt nihil aliud quam ſuccus coctione ſine ſaccharo aut melle inſpiſſatus,

Succus, vinum cydoniorum & roob.

a) Quid hoc vinum Dioſcoridi ſit, & quomodo id ſervari docet, §. XXXIII. propoſui.

tus, in conſiſtentiam mellis, ſicuti rob ſambuci, ebuli, iuniperi &c. & quoque, ut *Schroederus* ait, *ſirupus Imperatoris* dicitur. Hoc rob ſi non maiores quam conditum, ſaltem aequales habebit vires, & facilius in ventriculo, quam cydonia condita, quia duriores partes inde ſeparatae ſunt, ſolvetur.

XLVIII.

1. Diacydonium ſimplex. *Diacydonium* SCHROEDERVS ex ſucco cydoniorum acido & ſacchari dimidio fieri ſcribit, mox vero infra ſub N. 9. *Diacydonites vel Diacydonium ſimplex* inquit, ex carne cydoniorum atque ſacchari partibus aequalibus conficitur. Sed Pharmacopoeia Auguſtana illud ita componi docet. ℞. pulp. cydon. cum ſucc. cydon. depurato paratae, & ſacchar. albiſſ. deſpumati atque ad iuſtam ſpiſſitudinem cocti ana ℔viij, coq. ad debitam conſiſtentiam, ut poſſit ſcatulis infundi, vel & in *Electuarii ſpiſſi* forma conſervari.

2. Aromaticum. *Diacydonites vero aromaticum ſive compoſitum* hoc modo deſcribitur ℞. diacydon. ſimpl. ad iuſt. conſiſt. coct. ℔j. ſpecier. imperat. inciſ. ℥ß ſem. coriandr. ʒj. cort. citr. rec. minutim inciſ. ʒv. M. & infunde in ſcatul. *Diſpenſatorium Brandenburgicum* id, quod Auguſtanum *Diacydonites* vocat, *Diacydonium* appellat, & ſimplex eodem modo praeparat; ſed in Diacydonio compoſito coriandrum omittit, & ſpec. imperat. atque cort. citri. recent. à. ʒv. ad ℔j. Diacydonii ſimplicis aſſumit. a) Conducunt pro ventriculo roborando & ad alui fluxus ſiſtendos, atque poſterius tunc potiſſimum conducit, ubi

3. Laxans. calor. p. n. abeſt. *Diacydonium laxans* in Diſp. Brand. ita praeparatur. ℞. reſ. ialap. ℥IV. ſolu. in ſpir. vini opt. rectif. quant. ſuff. & exactiſſime agitando miſce *gelatinae cydoniorum* ad debitam conſiſt. coquendo redactae & adhuc calentis ℔iijſs. Vocatur alias quoque *Diacydonium Ialappinum.* In Diſpenſat. *Argen-*

a) Cydoniatum veteres non ex minoribus cydoniis, ſed ex maioribus ſive Strutheis perfeciſſe *Stapelius* in Comm. in Theophr. pag. 341. contendit.

Argentorat. ſumitur ad Diacydonii ſimpl. ℔j. reſin. ialapp. ℥j. ita quaelibet drachma grana tria reſinae continet. Praecipit etiam haec, ut reſina, quae additur, potius cum pinea teratur, quam in ſpiritu vini ſolvatur, ita enim fieri, ut diacydonium hoc quamvis potionem vel aquam promte ingrediatur. Haud ingratum eſt purgans pro iis, qui ab aliis medicamentis purgantibus abhorrent.

XLIX.

Sirupus Cydoniorum ſimplex iuxta Pharm. Aug. ex ſucci cydoniorum acidorum depurati ℔iij & ſacchari albi clarif. ℔iſs paratur; ſed in Diſp. Brand. ſacchari libraeij ad ſucci cydon. ℔iij ſumuntur. Veteres & nominatim AVICENNA ſirupum ſuum pro ſcopo roborandi longe praeſtantiorem praepararunt; dum ſuccum non ſolum vino coxerunt, verum illum etiam deinde aromatibus gratis & ambra impraegnarunt, ſicut deſcriptio in eius oper. T. II. p. 287. docere poteſt. SYLVIUS *ſirupum* hunc ſive *mivam ex ſolo ſucco cydoniorum ad ſirupi conſiſtentiam igne blando decocto praeparavit*, atque mirabilem, valde differentem, egregiamque virtutem inde non ſine admiratione ſe percepiſſe ſcripſit. a) Huius, inquit, ſi cochlear dimidium infantibus, vel plus adultioribus exhibeatur, pituitam glutinoſam in cidit, & nunc tuſſi ex pulmonibus educit, nunc vomitu e ventriculo tenuique inteſtino, nunc deiectione ab iisdem partibus expellit, quodque maxime faciendum, robur affert aegris, adeo ut unico hoc remedio plures reſtituerim aegros, a pleriſque medicamentis abhorrentes; pituitae tamen cum evacuandae tum corrigendae inprimis conducit." Sirupus.

L.

Sub *mivae* nomine, ut ſupra iam dixi, quidam ipſum *ſirupum cydoniorum* intelligunt; b) alii etiam *illud ſaccharum ſolu-* Mivae praeparatio.

G

a) In Method. Med. Lib. 2 cap. 10.

b) Vid. *Avicenna* loco modo citato, & *Welſchius* in Pharm. Aug. titulo Miva; & modo laudatus *Sylvius* ipſe.

ſolutum ac depuratum, in quo *cydonia condita*, vel ſine vel cum aromatibus conſervantur, quia in hoc ſapor, conſiſtentia & vires cydoniorum eodem quaſi modo inſunt, ut in peculiaribus ſirupi praeparationibus, adeoque ſine crimine hoc cydoniorum ſaccharo, loco ſirupi uti poterimus. Interea tamen aliter & ſeorſim ab aliis deſcribitur; ut primo a Io. *Bauhino* a) cui eſt decorticatorum cydoniorum ex aqua & ſaccharo, addita parte vini, ad ſuavitatem *decocta caro*. Vel fit ex ſucco cydon. cum vino cocto, addito melle vel ſaccharo deſpumato: qui tamen etiam pro miva habet illam compoſitionem Galeni, quam §. 44. deſcripſimus. Deinde etiam a *Schroedero* l. c. qui dicit: *Miva cydoniorum ſimplex eſt ſirupus ex ſucco cydoniorum dulciorum* part. XII. vini p. V. & ſacchar. p. III. In Diſp. Brand. autem recipiuntur ſucci cydoniorum per reſident. depurat, lib. X. & ſacchar. libr. iii. & coq. ad conſiſt. *mivae* debitam. Pharmacopoeia Auguſt. ad ſacchari ℔iij recipit ſucci cydon. ℔xij, quam *ad alvi profluvia & vomitum commendat* atque commode in potiunculis, mixturis & electuariis roborantibus adhiberi poteſt. *Miva vero aromatica*, ex mente *Schroederi*, eſt miva ſimplex, cinamomo roborata. Sed in *Tabernaemontano* & *Pharm. Aug.* mihi p. 37, ex praeſcriptione *Meſuae* plura adduntur aromata & moſchus, ut ſic tanto maius fiat roborans ventriculi & analepticum, ad fluxus alvi ac ſpeciatim *lienteriam* cohibendam magis idoneum, praeſertim in aegris, qui moſchum ferre poſſunt.

LI.

Marmelada & Gelatina.

Marmelata ſive *Marmelada* a quibusdam cum miva confunditur: b) eſt vero ſecundum *Schroederum* cydoniorum dulcium (ſive pyrorum) decoctio (per manicam Hippocratis) filtrata, cum ſaccharo inſpiſſata & *in ſcatulas effuſa*, quae vero

a) Hiſt. plant. T. I. p. 33.

b) Ita fieri videtur a *Io. Bauhino* l. c. ubi de Miva cydon p. 34.

vero melius forte in vitris amplioris colli, aut eiusmodi vaſis porcellaneis, vel lapideis, vel fictilibus, ut gelatina aut electuarium ſervari poterunt, quam in ſcatulis. Alii coquunt cydonia diutius, donec tabeſcant, ea colant per linteum ſine compreſſione (ut clarius fiat) deinde cum ſaccharo coquunt ad ſirupi conſiſt. & in ſcatulas effundunt, ita pulcherrima ſit, quae adhuc ſuavior redditur, ſi poma ſimul decoquuntur. a) Copioſe in nonnullis Germaniae locis & praeſertim in patria mea, Franconia, conficitur, inde in loca remota devehitur atque nobis *Quitten Ladwerge*, h. e. *Electuarium Cydoniorum*, dici ſolet, a nonnullis *Gelatina* vel *diacydonium lucidum.* b) KOLBIUS in Itinerario ſuo p. 267. refert, hanc confectionem etiam in capite bonae ſpei magna copia parari, ibidem divendi & ad alia remotiora loca magno cum incolarum commodo transmitti. BOERHAVIUS *gelatinam* ſive *marmeladam* hanc ex *cydoniis*, citreis, aurantiis aliisque eiusmodi fructibus factam, nautis longiſſima per mare itinera facientibus, pro ſummo habet remedio, quo maricolae hi ſe ſaepe a morbis, a ſalſis, ſiccis & fumatis cibis oriundis, ipſaque morte liberent, ſi eas aqua pura ſolvant atque aſſumant; c) hinc in capite bonae ſpei, ut modo dictum eſt, frequens eius eſt uſus. Solatio etiam eſſe poteſt illis, qui *febribus ardentibus*, imo & *dyſenteria decumbunt*, & *ſiti vexantur*, quando eam vel ore ſolvunt & deglutiunt, vel aqua pura aut decocto hordei vel citri diluunt, atque contra ſitim aeſtumque bibunt. *Gelatina cydoniorum laxans* admodum *ſuavis* deſcribitur ab *Ettmullero* l. c. p. 561. quae ibi videri & iis apte dari poteſt, qui alia purgantia averſantur. In Iaponia, ut *Meiſterus* refert, d) *cydonia* copioſe ſaccharo & melle *condiuntur*, ſicuti ea condiri in Europa, ab antiquiſſimis iam temporibus, mos eſt, atque has praeparationes quoque *Marmeladas* appellare Iap- Marmeladae Iaponenſium.

G 2 ponen-

a) Ibid. pag. 34.
b) Ibid.
c) In chemiae Element. Tom. II. p. 28. edit. Leid.
d) In Itinerar. ſuo p. 179.

ponenſes; hinc hoc nomen apud hos etiam eſt in uſu, quod alii ab hiſpanico *Marmellos*, quod hac lingua malum cydonium ſignificat, deducere ſolent. Sed miror KAEMPFERVM neque in amoenitatibus ſuis, neque in hiſtoria ſua naturali Iapponiae, cydoniorum, quantum memini, ullam facere mentionem.

LII.

Oleum. *Oleum cydoniorum* SCHROEDERVS cum multis aliis *per infuſionem* ex cydoneis non excorticatis, ſucco cydon. & oleo omphacino praeparat; alii vero & praeſertim recentiores, ut uideri poteſt ex Pharm. Aug. & Brandeb. *per coctionem*, recipiendo cydoniorum in fruſta diſſectorum ℔ij, olei olivarum ℔iij, quae invicem coquuntur ad humiditatis conſumtionem, tum colatur & ſervatur. Pro uentriculo inungendo & roborando, ubicunque adſtrictione opus, ut contra *uomitus* & alui fluxus praecipue commendatur, itemque contra *nimios ſudores*, ſi ſpinae dorſi inungatur. Interea tamen oleis adſtringentibus, ut ſupra §. 34. iam dixi, parum fidei habeo, & *cataplaſmata* ex cydoniis in ventriculi hiſce malis eis praeferrem. *Geofroeus* oleum hoc ex immaturis facit.

LIII.

Aqua cinamomi cydoniata. Praeterea ex cydoneis etiam *aqua* deſtillatur ſimplex, ſed longe praeſtantior ex cydoniis & cinamomo *aqua roborans, ſtomachica & analeptica, quam aquam cinamomi cydoniatam* appellare ſolent, ſequenti modo praeparata in noſtris multisque aliis officinis pharmaceuticis Germaniae proſtat, cuius cur nulla in *Schroederi* aliisque plerisque Pharmacopoeis ac Diſpenſatoriis, imo nec in *Geofraeo* fiat mentio valde miror. IVNGKENIVS vero illam ita deſcribit a) ℞. ſucci cydon. recens expreſſi ℔iij cinamom el. ℥iiß, infuſione per tres dies facta, inſtituatur deſtillatio. Huius aquae inſignes mirandosque effectus, (praeter iam dictos) in alui fluxibus quibuscunque cohibendis & ſpeciatim etiam

a) In Lexic. Chem. Pharmac. Part. II. p. m. 39.

am febrium acutarum nimiis, D. PRAESES ſua experientia mihi confirmauit, eamque etiam in hunc aliosque plures fines in Compend. ſuo Medicin. Pract. ualde commendavit. Interea tamen ſunt, qui *hanc aquam ſola infuſione* huius ſucci ſuper cinamomum *paratam* praeſtantiorem eſſe iudicant, quia particulas adſtringentes alembicum haud transcendere exiſtimant; interim illa ſatis bene & roborat & adſtringit. Sunt etiam qui hanc aquam ex ſucco cydon. cum cinamomo fermentato parari uolunt, ut Frid. *Hoffmannus* Pater, in libro & loco ſupra p. 41. citatis. Sed utrum, facta fermentatione, hic liquor pro aqua cinamomi cydoniata ſit habendus, an potius prius deſtillandus, atque in aquam *ſpirituoſam* convertendus, non dicit. Vtraque vero ratione adhibitus magnarum uirium eſſe poteſt, ac ſpeciatim etiam in abortus metu & foetu debili roborando.

LIV.

Ita etiam miror, quod in pauciſſimis libris chemicis ac pharmaceuticis, iisdemque hodie uſitatiſſimis, altum ſit de *Tinctura martis cydoniata*, a WEDELIO, ni fallor, primum deſcripta, a) ſilentium; cum tamen ualde egregium ſit remedium, omnibus *in morbis hypochondriacis*, *cachecticis* eisque omnibus, ubi tonus partium labefactatus, ſive fibra, ut dici ſolet, laxa peccat. Prodeſt etiam *in obſtructionibus uiscerum ac menſium*, *ictero* &c. qua uero de re uberius uid. *Wedelius* l. c. a pag. 165. ad 168. Imo quod *Boerhauius* de tinctura *ſua martis cum uino rhenano parata* tantopere praedicat, b) id omne etiam, & forte adhuc plus ab hac tinctura, particulis magis roborantibus impraegnata, dici atque exſpectari iure poteſt. Praeparari autem ita conſueuit. ℞. limatur. mart. puriſſ. & tenuiſſ. ℥i. ℥ij vel ℥iij pro lubitu, affunde ſucci cydoniorum per ſubſidentiam & filtrationem depurati, ad eminent. ſex vel octo digitorum, in uitro

Tinctura martis cydoniata.

 vel

a) In Compend. Chemiae p. m. 167.
b) In Chemiae Tom. II. p. 445. edit. Leidenſ.

vel olla uitreata, ſtent in leni digeſtione per aliquot dies, baculo maſſam ſubinde agitando, donec tinctura nigricans ſufficienter fuerit evocata: quae decantata poſtea in uſum contra ſupra indicata mala trahatur. Ex reſiduo vero huius tincturae idem *Wedelius* Tincturam martis, quam *duplicatam* appellat, elegantiſſimam conficit, dum reſiduo acetum affundit, ac digerit, qua opera *tinctura ſanguinei ſaturati elegantiſſimi coloris* producitur, quae vel ſola vel cum tinctura martis cydoniata mixta, in praedictis malis egregie, ut aſſeverat, prodeſt.

LV.

Sal cydonior. eſſentiale.

Thomas BARTHOLINVS Hiſt. anat. cent. 5. hiſt. 12. deſcribit, quomodo in ſucco cydoniorum, ſine melle & ſaccharo inſpiſſato, atque per ſemeſtre ſpatium, in vitro aſſeruato *ſal quoddam eſſentiale, tanquam tartarus verus cryſtalliſatus*, lateribus uaſis ſeſe applicauerit, cuius ſapor gratus acidulus erat: atque inde eum *pro medicamento perutili ſtomachico at diuretico* haud ſine ratione iudicat, id quod & Frid. *Hoffmannus* Pater, *Ettmullerus*, *atque Godofredus* locis citatis teſtantur.

LVI.

Seminis mucilago.

Semen cydoniorum ipſum in ſubſtantia quidem raro uſurpatur, ſed, ut ſupra iam dictum eſt, utplurimum eius *mucilago* vel *mucago*, eaque frequentiſſime, quam tantum coctione, quod miror, ex illo extrahi ſcribit cum *Matthiolo Ettmullerus* l. c. cum ſola infuſione ſat brevi tempore, tam in aqua frigida, quam calida, parari apte poſſit, & a plerisque etiam ita praeparetur; quamuis ſi periculum eſſet in mora, *coctione* paullo citius obtineri queat, atque in morbis multis magnae ſit utilitatis, licet veteres Graeci ac Romani de ea ſiluerint atque ſic vires eius ignoraſſe videantur. Primus in quo *ſemen & mucilaginem* ad multa mala commendata inueni, eſt AVICENNA, a) (conf. pag. 35) atque ſupra variis

riis

a) Tom. I. p. 287, ubi ad *aſperitatem gutturis* ea laudavit.

riis in locis iam diximus, quod in *faucibus & lingua aridis*, *ambuſtis*, *papillis mammarum fiſſis*, *itemque in oculorum inflammationibus* egregiam opem praeſtet, id quod quam plurimi & cumprimis etiam *Ettmullerus* confirmant, praeſertim ſi in ophthalmia parum camphorae & ſacchari ſaturni ipſi ſocientur Verum praeter quam quod utilis ſit in malis modo nominatis, pertinaciſſimas etiam *labrorum fiſſuras*, quae cancrum minabantur, & ubi alia praeſtantiſſima remedia parum erant, hac mucilagine ſe curaſſe, mihi retulit EXC. PRAESES. *In ardore ac dolore haemorrhoidum* ualde quoque laudatur a uariis, & nominatim *Ettmullero*, *Hermanno*, *Godofredo* aliisque, cumprimis vero hic Paulus HERMANNVS, de quo egregium habemus librum de *Materia Medica*, a) nihil quicquam in eo habet *de cydoniis ipſis*, quod mirandum, (neque etiam BOECLERVS, qui hunc librum haud adeo pridem auxit, atque continuavit), ſed *tantum de ſeminibus* eorumque uſu non nulla tradit, eaque *non ſolum externe*, ut fere omnes ceteri hactenus nominati auctores faciunt, *ſed etiam interne*, & quidem non modo in mucilagine, ſed etiam *in ſubſtantia* ipſa, ut dicunt, *in alui fluxu & uomitu ſiſtendo* commendat: ut r. ℞. ſem. cydon. ℥iß. cort. granat. ℥j conſerv. roſar. miv. cydon. aa ℥ij. F. bolus in *alui fluxu* ſiſtendo, cui in *uomitu* nimio addi iubet laud. op. gr. ij. & ol. nuc. moſch. expr. ℥ß, pro duabus doſibus. Praeterea ℞. ſem. cydon. pſyllii, lini a ℥j aq. roſar. q. ſ. F. mucilago, adde camphor. ſacchar. ſaturn. aa gr. iij *oculis inflammatis* vel & ambuſtis ſaepius imponenda; quam etiam *ad haemorrhoidum dolores* leniendos praedicat, ſi ſaepius ea inungantur. *Godofredus* quoque eam aqua roſarum infuſione paratam, in omnibus praedictis malis & praecipue pro gargariſmate ad *linguae ac faucium ariditatem in acutis leniendam*,

a) Cel. Praeſes librum hunc manu exaratum poſſidet, qui longe plura habet, adeoque longe perfectior eſt, quam ille, qui ab *Henningero* Argentorati a. 1710. editus eſt.

dam, *ophthalmiam* ſanandam, itemque in *enematibus ad dyſentericorum tormina placanda*, *dolores haemorrhoidum* leniendos, papillasque *mammarum* fiſſas glutinandas, ac *ambuſta* ſananda, ſi eis ſaepe illinatur, commendat. *Sydenham* in ore a mercurii uſu ulcerato; *Wedelius* comm. in Timaeum ad *aphthas*; *Foreſtus* contra *venena* acria aſſumta eorum decoctum; alii in *raucedine* & *intertrigine* laudant.

LVII.

Praeparata varia Matthioli & alior.

Denique *ſuperſunt quaedam e cydoniis uariorum auctorum deſcripta praeparata*, quae hic adhuc referre a ſcopo noſtro haud alienum erit: & primo quidem aliquod iam dudum a MATTHIOLO comment. in Dioſcor. deſcriptum, quod *magnum auxilium eſſe dicit ad bilioſas uomitiones*, *& ad dyſenteriam.* Nimirum: ℞. ſucc. cydon. ℔j corall. rubr. ſem. roſar. rubr. rhabarb. aa. ℥j. hypociſt. ſucc. acaciae aa ℈ij, coq. ad conſumpt. tertiae partis, quod dari iubet quotidie mane & veſperi, horis binis ante cibum, addito hoc monito practico, *ut aegri prius ſint purgati.* Carpit quidem Io. *Bauhinus* a) in hac compoſitione, quod *Matthiolus* rhabarbarum in remedium hoc adſtringens receperit, cum purgans ſit; uerum uis adſtringens, roborans & anodyna rhabarbari, praeſertim in dyſenteria, hodie bonis Medicis adeo nota eſt, ut metus *Bauhini* ſit nullus atque non attendendus. Quemadmodum multi paullo antiquiores Botanici, ut TRAGVS, FVCHSIVS, &c. cataplasma *ex cydoniis crudis* contra uomitum, ita alii hoc ex *coctis* conficiunt. Speciatim vero *cotoneum malum coctum*, addito oleo maſtichino, ac deinde tritum, ut *cataplasma* uentriculo impoſitum, *ſingultum* potenter ſedare atque *uomitum & choleram* ſiſtere aſſeuerat DODONAEVS Pempt. p.796. Sic *Cruda cydonia* commendat DIOSCORIDES ac RVELLIVS de ſtirp. p.150. *dyſentericis*, *cholericis* & purulentum excreantibus, cum multis aliis ſcriptoribus; plerique

a) Hiſt. plantar. Tom. I. pag. 34.

que contra recentiores cum *Avicenna* T. II. p. 290. *condita & cocta crudis in his malis praeferunt.* Cibus, ſive *panis*, quem *cydonitem* appellant, ex cydoniis decoctis, ſaccharo, caryophyllis ac cinamomo confectus valde laudatur a *Ruellio* l. c. aliisque plerisque botanicis ac medicis ſcriptoribus, ubi adſtrictione & robore opus eſt.

LVIII.

Praeterea adhuc nonnulla *praeparatorum illorum ex cydoniis, in diſſertatione illa Eyſelii* §. 45. deſcripta, de quibus hactenus nondum dictum eſt, hic addemus, quorum primum eſto, *Tinctura opii cum ſucco cydoniorum* praeparata LANGELOTTI, Celeb. quondam Medici, qua & huic & auctori illius diſſertationis *nulla opii correctio melior* eſſe uidetur. Nempe ℞. opii thebaici quantum uis, ſuperfunde ſucci cydoniorum clari ad eminent. trium digitorum, adde parum ſalis tartari, ſtent in vitro probe clauſo, in loco calido per menſem, poſtmodum tincturam claram deple & uſui ſerva. Sed *Langelottus* in epiſtola hac de re edita ſequentem modum per fermentationem aliis praefert. ℞. opii ℥vj affunde ſucci cydon. depur. ℔v. ſal. tartar. ℥ß ſacch. alb. ℥ij. M. reponantur in loco tepido ad fermentationem, donec opium totum ſolutum ſit, faecibus ſubſidentibus. Tunc ſolutio filtretur, & ad mellaginem inſpiſſetur, cui affunde ſpir. vin. tartaris. q. ſ. ad conſiſtentiam eſſentiae. Hac praeparatione beneficio fermentationis non ſolum opium optime ſolui, ſed & partes eius crudiores partim diſſipari, partim a ſucco acido cydon. corrigi, quae acidis potentioribus, ut ſpir. ſulphuris vel vitrioli prorſus deſtruerentur, ita ut opium poſtea nihil amplius praeſtaret. *Haec tinctura opii pro anodyno ſumme correcto & tutiſſimo* ab his praedicatur *in omnibus morbis, ubi dolores nimii, vigiliae, inquietudines, evacuationes nimiae* quaecunque & hypercatharſes urgent.

Tinctura opii cydoniata.

LIX.

2.) *Diagrydium ſeu ſcammonium cydoniatum ſive per ſuccum*

Scammonium cy-

doniatum & vinum laxans.

cydoniorum defecatum, ita praeparatur. ℞. ſcammon. in pulv. redact. q. pl. ſolv. in ſucc. cydon. calido q. ſ. l. a, ſtent per menſem, poſtea decantetur a fecibus & coaguletur. Sed in TRAGI herb. r. german. p. 819. monetur, quod in huius praeparatione cura ſit adhibenda, ut diagrydium in ſucco cydoniorum bene diſtribuatur; alias ex inaequali eius diſtributione ſaepe plus damni quam commodi inde eſſe metuendum; quia certae partes huius diacydonii nihil, aliae vehementius agerent. Conf. & illa *Galeni* praeparatio ſcammonii, quam ſupra §. 44. deſcripſimus: nam niſi ſcammonium blando eius modi acido corrigatur, nimis acre eſt & rodens, ſic ut facile inteſtina erodat, inflammet, atque ſic multa gravia mala concitet, quae hac praeparatione optime praecaveri exiſtimat. *Expurgat* vero ſic praeparatum *humores bilioſos ac feroſos tuto*, & doſis eſt gr. VII. ad X. 3.) Ibidem etiam deſcribitur *vinum purgans* ſuave ex cydoniis & ſcammoneo paratum. ℞. ſcammon. elect. part. IV. ſucci cydon. p. ij mixta, pone in locum calidum, quotidie movendo, donec maſſa indureſcat. Poſtmodum affunde *vini maluatici* q. ſ. ad ſolut. ſtentque aliquamdiu in digeſtione & ſic fit non *ſpiritus*, ut auctor diſſertationis vult, ſed *vinum purgans*, quod ſine faſtidio ac moleſtia, ut aſſeverat, a ℈ß ad gtt. XV. adhibetur.

LX.

Tinctura coralliorum cum ſucco cydoniorum.

4) *Tinctura coralliorum cum ſucco cydoniorum praeparata, elegantiſſimae virtutis:* ℞. ſucc. cydon. depur. q. v., ſtet in loco calido, *ut in acetum convertatur*; poſtmodum *hoc acetum deſtilla* & a phlegmate atque aliis ſordibus ſepara, ut acetum purum praeparetur: quo facto *ſuperfunde hoc acetum Coralliis rubris* in alcool redactis, aſt prius probe calcinatis, ſtent in digeſtione in vitro & igne arenae. Tincturam rubicundam deple, atque novum affunde acetum, talisque labor iteretur ſexta vice; has omnes tincturas coniunge & inſpiſſa ad mellaginis conſiſtentiam. Huic extracto ſuperfunde ſpiritum vini rectificatum ad eminentiam trium digitorum, ſtent per 14. dies,

dies, & tunc tinctura filtretur, & ſervetur ad uſum. Si loco ſpiritus vini ſumatur Ω cochleariae, tunc elegantiſſima praeparatur *tinctura coralliorum antiſcorbutica*. Vires. Tincturae Coralliorum licet diverſae circum ferantur, nulla tamen hacce melior exiſtit, quae partim ſcopo adſtrictorio ſatisfacit, partim quoque ſtomachum aliaque viſcera, praeſertim ventriculum, hepar & inteſtina corroborat, atque in vulneribus ac haemorrhagiis egregium praeſtat uſum. Praeterea quoque *quae cum ſpiritu cochleariae praeparatur*, in ſcorbuto, ſi huius uſus continuetur, & quibuscunque ſanguinis impuritatibus, v. g. in ſcabie, lue venerea atque affectibus podagricis multoties mira praeſtitit.

LXI.

5.) *Tinctura ſeu potius eſſentia cydoniorum* in Eyſeliana hac diſſertatione fit, ſi rob ſive ſucco ipſorum inſpiſſato affunditur ſpiritus vini & ponatur in digeſtione, donec bene tinctus ſit, ita a gtt. XV. vel XX. easdem vires promittit, quas aliis hactenus laudatis medicamentis ſcriptores tribuerunt: qua vero de re valde dubito, praeſertim ſi tantum tam exigua copia exhibeatur. Tinct. cydoniorum.

LXII.

6.) *Vinum cydoniorum* ſequenti modo praeparare docet. ℞. malor. cydon. a cortice liberat. & in fruſta conciſor. ℔xij, immittantur in doliolum, quod capit liquidi libras circiter centum & ſexaginta, repleatur muſto, atque poſtea fermentationi committatur, requieſcatque poſtea per menſem; vinum clarum deinde in aliud doliolum transfundatur, atque pro uſu aſſervetur. Hoc *vinum eſſe inſigne confortans* in tono fibrarum laxato, coctionemque alimentorum iuvare, ſi in paſtu hauſtus ſumatur. *Io. Bauhinus* varios etiam modos hoc vinum praeparandi docet l. c. p. 33. *Myrepſius* p. 568. malorum & cydoniorum recipit aa. ℔ß, & affundit his in doliolo muſti ſextar. quinque, ea ſoli exponit diebus XXX, quod vinum inde paratum ad ſtomachum roborandum valde commendat. Sed cydoniorum copia mihi hic videtur nimis exi- Vinum cydon.

gua, quam ut magna vis roborans inde exſpectari queat. *Godofredus* (Geofroy) in lib. de Mat. Med. illud parare docet p. 369. ex his fructibus tuſis, expreſſis & cum melle fermentatis, quod cum veteribus vinum *melites* vel *cydonites* appellat; vel *coniiciendo tantum cydonia mala* fruſtulatim ſecta in dolium vino repletum. Aliter illud praeparare docuit *Dioſcorides* §. 33. aliter *Schroederus* §. 47. atque alii rurſus aliter: interea tamen omnes hae praeparationes pro uſibus modo indicatis, magis minusve, pro diverſa eorum praeparatione, idoneae eſſe poſſunt.

LXIII.

Rob & aliae adhuc quaedam praeparationes.

Rob cydoniorum ex ſolo ſucco cydon. lenta coctione ſine melle aut ſaccharo inſpiſſato confici docuit *Auicenna* Tom. II. p. 289. *Cydonia ipſa* in melle egregie *conſervantur*, ſi iis ſuperinfunditur, atque *mel hoc cydoniatum* dici ſolet, pro variis uſibus idoneum §. 40; *cydonia* vero ita *condita gravidis* proſunt, abortum praecavent, foetum debilem roborant, & *ſingultui* medentur. Sed KOLBIVS l. c. refert, in Africae capite bonae ſpei cydonia *in ſucco eorum cocto*, itemque etiam in *aqua ſalſa aſſervari* atque ſic ibidem ita divendi: quae ultimae praeparationes, quantum novi, apud Europaeos hactenus nondum in uſu fuerunt. *Decoctum cydoniorum* ebrietatem pellit atque calorem febrium, ſi bibitur, moderatur. *Infuſum* vero dyſentericis *Hippocrates* commendat, Vid. *Bauhinus* l. cit. Fuerunt quoque inter Veteres & nominatim *Dioſcordes* atque *Galenus*, qui *unguenta & emplaſtra* ex cydoniis confecerunt; verum cum non magnus inde forte obſervatus fuerit effectus, hodie fere exoluerunt, adeoque & ea hic non deſcribemus.

LXIV.

Vſus in cibis.

In *arte coquinaria* & libris eo ſpectantibus, cum cruda aegre comedi poſſint, ex coctis ſuaviſſima edulia praeparantur, quae omnia, ut COLVMELLA ait a) *non ſolum voluptatem*,

a) De Re ruſtica Lib. V. cap. 10. §. 19. p. 561.

tem, ſed etiam ſalubritatem afferunt, ac ſpeciatim illo in libro, qui ultimo loco Norimbergae in patria mea, ubi mulieres in arte & coquendi & condiendi, quod praefiſcine dixerim, mire excellunt, vernaculo ſermone prodiit, non ſolum pleraque praeparata, quae hactenus deſcripſimus, pulchre expoſita deprehenduntur, atque ſaepiſſime variis rebus cum ſuavibus & palato gratis, tum roborantibus ac virtutes eorum augentibus emendata ſunt; ſed & quamplurima alia in libris medicis hactenus non deſcripta, in omnis generis & eduliorum & medicamentorum formis, ut *iuſculorum* ex cydoniis, (*ſouppes*) cydonia *cocta*, condita, aſſata, toſta, frixata, cydoniorum panis, ſirupi, gelatinae, electuaria, morſuli, rotulae, placentae, (*tartes*) panis biſcocti & aliarum formarum, cumprimis vero compoſitiones ſive praeparationes ſuas ſaepiſſime *ſucco & corticibus citri, cedronati & aurantiorum* recentibus, quorum uſus in cibis ac bellariis, imo & in medicinis, veteribus vel incognitus, vel ſaltem non ita, ut hodie eſt, frequens fuit, pulchre atque aptiſſime auxerunt, atque ſic praeparatorum ex cydoniis virtutem ac ſuavitatem, tam in eſculentis ac bellariis, quam in medicamentis mire emendarunt, ita ut aſſeverare non dubitem, quin his in rebus noſtrae mulierculae multis paraſangis veteres ſuperaverint. Quas vero praeparationes aut novas aut correctas, ſi omnes hic recenſere vellem, dum in modo nominato libro coquinario Norimbergenſi ſeptuaginta fere reperiuntur, omnes in victu & Medicina utiles, duplo ampliorem, quam nunc eſt, meam efficerent diſſertationem, adeoque eas ſilentio praeteribo, atque autor ſum, ut ii, qui deliciis hiſce delectantur, librum modo laudatum pervoluant, ubi, quo hac in re ſibi ſatisfaciant, profecto invenient. *Godofredus* his omnibus adhuc ſuperaddidit *cydonia in veru aſſata*, & toſtarum carnium ſucco irrorata. l. c. pag. 369.

LXV.

Sed cum nihil ſit tam bonum, quod non etiam *vel abuſu, vel perverſo uſu nocere queat*, ita etiam res ſe habet *cum cy-* De noxa ex cydoneis.

doniis eorumque praeparatis praeſtantiſſimis. Primo enim obſervarunt varii, & quidem inter primos *Auicenna*, ac poſtea plures alii, quod ſi *nimia copia comedantur*, noceant, a) cum omne nimium, praeſertim tam eminentis virtutis adſtringentis, naturae ſit inimicum; ſpeciatim vero quod *dolorem nervorum generent*, indicavit. b) Alii quod obſtructiones pertinaciſſimas, magna *tormina*, colicos cruciatus c) ac *turbas in ventre*, imo ipſam *iliacam paſſionem* produxerint, notarunt, adeoque ab eorum nimio ac intempeſtivo uſu abſtinendum. Quam maxime vero *cavendum, ne in fluxibus alui* & ſpeciatim *febrium*, praeſertim vero *in dyſenteria* & *ſanguinis fluxibus* nimis mature, multo minus mox in principio horum morborum aſſumantur, aut a Medico praeſcribantur. Nam quemadmodum omnis in praedictis morbis nimis cito facta adſtrictio & conſtipatio horum fluxuum, dum morbida, acris ac noxia materia, quam natura in emolumentum aegrorum ex corpore expellere ſtudet, in eo retinetur, atque poſtea ſymptomata morborum auget, aut novos producit; ita & hic aliter fieri non ſolet, quam ut cum damno aegrorum, vel cydonia ipſa, vel eorum vinum aliave praeparata adſtringentia tunc & praeſertim larga copia aſſumantur. Hinc mirandum non eſt, quod egregius quondam Medicus caſtrenſis Tob. COBERVS exempla referat, ubi tam *a vino cydonite, quam a cydoneis nimia copia* aſſumtis, in Hungaria grauiſſima incommoda, obſtructiones alui graves ac ſpeciatim iliaca paſſio inde orta ſint. d) Ita & FERNELIVS memorabile refert exemplum, ubi puellae ſeptenni diarrhoea laboranti, intempeſtive medicamen-

a) acſpeciatim *Io. Bauhinus* Hiſt. Plant. T. I. pag. 32, *Geofroeus* Lib. de Mat. Med p. 389.

b) *Avicenna* Tom. I. pag. mihi 287.

c) vid. Sim. *Sethus* de aliment. p. 43. & *Nonius* de re cibaria c. 30.

d) In obſerv. ſuis caſtrens. Decur. 2 obſ. 9. pag. mihi 43, ubi & refert, quod in Hungaria Cydonia valde ſint copioſa, pulchra atque magna & quod vineta cydoniis, ob magnam eorum copiam ſint interſepta.

mentum cydoniatum larga manu exhibitum & hic fluxus alvi inde mox conſtipatus fuerit, quo immanes ventris cruciatus ac tumor, animi deliquia, vomitus ſtercoreus & mors crudeliſſima intra biduum ſunt ſecuta. Aperto cadavere coecum adeo conſtrictum deprehenſum eſt, ut nihil amplius ibi tranſire potuerit, ibique haerens materia acris inteſtinum erodendo perforaverit. Adeoque in quam plurimis morbis opus eſt, vt in uſu eorum praemittenda praemittantur, atque ſpeciatim *in alui fluxibus & cumprimis dyſenteria*, idonea evacuantia ad primas vias ab humoribus noxiis purgandas, ſicut etiam hoc cum veteribus ſuadent *Matthiolus*, *Io. Bauhinus*, *Coberus* l. c. aliique; in ſanguinis vero fluxibus, *venae ſectio*, ac medicamenta temperantia aliaque neceſſaria, una cum apto victus regimine, prius ſint adhibita; his enim neglectis, pleraque ſpecifica atque heroica remedia praeſtantiſſima utplurimum plus nocent, quam proſunt. PASCHALIVS refert *Alphonſum*, Regem Neapolitanum ex eſu cydoniorum *in diabetem* incidiſſe, Lib. I. Meth. cur. morb. c. 50. Verum licet ſal diureticum, ut tartarus tartariſatus, ſicut ſupra §. LV. iam dictum eſt, contineant, hoc tamen non adeo multum eſt, atque ſic tam facile praedictum morbum concitare non poterit. Forte *Paſchalius* fallaciam cauſſae commiſit, dum diabetes illa ab alia cauſſa, quam a cydoniis ortum ducere potuit. Ita & *in dolore & ulcere veſicae* noxia proclamantur a *Io. Bauhino* l. c. p. 33. Contra vero in *diabete* ob virtutem adſtringentem & roborantem ea commendat. Sed fabuloſum prorſus eſſe cum *Nonio* l. c. exiſtimo, quod de Simone *Setho* refert, ſi ſcilicet *cydonia* in *aedes parturientium inferantur*; *partum remorentur*, eumque difficilem reddant. Sed ubi hoc ſcripſerit *Sethus*, *Nonius* haud dicit, neque ego illud quavis adhibita diligentia reperire potui. *Diacydonium purgans* niſi ſcammonium curate per ſuccum cydoniorum diſtribuatur, incerti eſt effectus & modo non, modo, ut ſupra §. 58. dictum, vehementius purgat; In *dyſenteria* vero, ubi varii eo uſi ſunt, a *Io. Bauhino* prorſus reiicitur: quia ſcammonium vim habet inteſtina erodendi, quae iam ſatis in hoc morbo eroſa ſunt.

LXVI.

Vſus in commerciis.

Antiquiſſimis temporibus iam *commercia cum praeparatis e cydoniis agitabantur*, dum non ſolum ex Syria & *Iberia*, ut ſupra pag. 44. §. 44. iam diximus, Romam quaedam delata ſunt, verum etiam *ex Franconia* per magnam Germaniae partem miva, gelatinae & electuaria, placentae atque panis cydoniorum, ut p. 51. dictum eſt, divenduntur. Sed non tantum in Europa, verum *in Africae capite bonae ſpei* quoque magno incolarum commodo cydonia, & aqua ſalſa & ſaccharo condita, larga copia, itemque *ſemina per libras* certis Indiae orientalis populis ibidem divendi, qui mucilaginem inde conficiunt, *qua capillos tingunt & inungunt*, ut ea ſic melius ſecundum morem illorum criſpare queant, id quod & *Meiſterus & Kolbius* locis ſupra citatis aſſeverant. Hortulani etiam multi variis in locis multas *iuniores arbusculos* cydoniorum elevant, easque, ut pyros & malos, quas pumiliones eſſe deſiderant, hortorum cultores illis inſerere queant, copioſe divendunt: quia hae arbuſculae, ut *Io. Bauhinus & Raius* in Hiſt. plant. aliique notaruut, huic negotio omnium aptiſſimae ſunt, quia maxime durant atque fructuum ſaporem ſuaviorem reddunt. Ruricolae hic in Saxonia inferiori *vaccis quibuscunque poſt partum pulverem cydoniorum ſiccorum* ex aqua tepida hauriendum exhibent, easque a variis malis a partu metuendis, hoc praeſervari atque inde brevi, ſanas rurſus reddi praedicant. Magnus itaque eſt uſus cydoniorum, ita ut TRAGVS in ſua ſtirpium Hiſt. Lib. III. C. 42. aſſeverat, ea ad tam multas affectiones utilia eſſe, ut vice officinae pharmaceuticae, unde pauperes ſua medicamenta petant, eſſe poſſint: imo nos, cum eodem auctore ea ſententia, qua hoc Cap. 43. claudit, etiam hanc diſſertationem claudemus, quando ait:

Neminem tanta eloquentia praeditum puto, qui cydoniorum facultates pro dignitate explicare poſſit.

S. D. G.